




Preces sacrae ex Psalmis Davidis desumptae

<https://hdl.handle.net/1874/421333>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board



E. 042


350


350











293
300

IX 37 A

PRECES

SACRÆ EX

PSALMIS DAVIDIS

DESUMPTÆ PER D. PE-

TRVM MARTYREM VERMI-

lium Florentinum, sacrarum lite-

rarum in schola Tigurina

professorem.




*Domini huius
a Birchell.*

TIGURI

Excudebat Christophorus Froschonerus

Anno M. D. LXIIII.





ORNATISSIMO
VIRO, AMICO SINGV-
lari D. Hermanno Folkershei-
mero Frisio Iofias Simle-
rus S. P. D.



UPERIORI anno Herman-
ne suauiſſime, cum ſcripta opti-
mi atq; doctiſſimi uiri, præce-
ptoris noſtri Petri Martyris
euoluerem, & in eius bibliothe-
ca minutiffimas quaſq; ſchedas

ipſius manu notatas colligerem, inci-
di forte in chartas quaſdam abiectas & diſſipatas, in qui-
bus preces quaedã ſacræ manu ipſius conſcri-
ptæ erant. Has cum diligentius euoliſſem, di-
gnas iudicaui quæ in publicum ederentur:
quamuis enim non in hunc finem ab ipſo conſ-
criptas eſſe ſcirem: tamen ut hoc nihilominus
facere certis rationibus ad ductus ſum. Nam
primum quia illo tẽpore, quo & conciliũ Tri-
denti inchoatũ fuit, & religionis cauſa graue
& inteſtinum bellum in Germania exortũ eſt,
Martyr has preces ſinitis lectionibus in ſcho-
la Argentinenſi publicè habuit: iure nunc in
publicum eduntur hoc tempore, quo arden-
tibus precibus Deus orãdus eſt, ne ſinito nunc
concilio Tridentino ſimile aliquod incendiũ
de ſuo oriatur. Deinde preces quæ in hoc li-

EPISTOLA.

bello habentur & perspicuæ sunt & quã mini-
 mum à uerbis Psalmorum recedunt quod ego
 in precibus magni momenti esse iudico. Ete-
 nim in his precibus partim quidem multorum
 Psalmorum argumentum breuiter & perspi-
 cue explicatur, partim uerò loca plurima ob-
 scura & difficilia, illustri quadam paraphrasi
 explicantur. Quare non dubito maiorem opi-
 nione multorum utilitatem, ex breuis huius li-
 belli lectione ad studiosos redituram esse. Ti-
 bi autem Hermãne suauissime hunc libellum
 inscripsi, ut habeas & Martyris nostri & mei-
 ipsius *μνημέτιον*. Cum enim & Martyr em
 quandiu uixit parentis loco obleruaris & co-
 lueris: & me præterea tanto amore hæcenus
 complexus sis, ut merito te semper in amicissi-
 morum numero habere debeã, credo tibi gra-
 tum fore hunc quamuis exiguum libellum,
 quem utriusq; nomine inscriptum tibi mitto.
 Quoties enim librum hunc inspexeris, inspi-
 ces autem que tua est pietas sæpius, toties ani-
 mo repetas ueterum amicorum non omnino
 inuicendam uti spero recordationem. Neque
 enim Martyris memoriam mors eius abolere
 potuit: neque nostram qui uiuimus coniunctio-
 nem locorum distantia separabit, quo minus
 & literis, & grata memorie ueteris recorda-
 tione, coeptam dudum amicitiam perpetuo cõ-
 seruemus. Vale Tiguri 12. Calendas Iulij
 anno salutis 1564.

PRECES SACRAE
EX PSALMIS
DAVIDIS DESUMPTAE
auctore D. Petro
Martyre.

EX PSALMO I.



*V*FER à nobis Deus Opti-
me Maxime praua consilia,
secundū hoc peccata: vitam
improbam atq; flagitiosam
ne sinas nos incurrere: de-
mumq; à cōtemptione pietatis, & risu vir-
tutum procul animos nostros remoueas. Et
loco istarum pestium largire vt in lege tua,
& sacris literis perpetuo meditemur. Quo
non instar impiorum ab omni vento affe-
ctionum, & doctrinarum, vt leuis puluis cu-
las & inanes quisquillie circumferamur.
Sed potius veluti arbores iuxta riuos aqua-
rum sitæ, vita spiritus & fide donati, bona
quoque opera exterius fructificemus, atque
ad laudem gloriamque tui nominis, & no-

P R E C E S

stræ salutis cumulum, prospere cedat quicquid agimus. Tandemque in iudicij tui examine cū impij iam ceciderint, nos pro tua misericordia & stemus & absolvamur. Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Satis euidenter intelligimus omnipotēs Deus, graues calamitates & miserabiles casus ideo vexare ecclesiam, quod reproborum consilijs frequenter accessimus, quæ oportuerat statim agnita denitare. Scelera torū item viam minime declinauimus, sed illorū iter assiduè triuimus, continuis mandatorum tuorum transgressionibus. Præterea sanæ correctiones, ac salubris disciplina diu à nobis est contempta: satūque supine, imò impudenter neglectum & risum quicquid tuo verbo nobis obtrudebatur. Quare haud mirū si pro felicitate & tranquilla pace, qua hætenus diu satū pro dolor abusi sumus, omnia modo graua molesta & acerbissima cogimur experiri. Nunc autem ô Deus hæc nostra confitendo mala merita ad te supplices confugimus, rogamusque vehementibus & ardentissimis votis, ut que
tam

tam stultè & impiè peccata admisimus ve-
 lis nobis clementer condonare. Et animos
 nostros legis tuæ reddere quam studiosissi-
 mos, ita vt nihil aliud atque verba scriptu-
 rarum sanctarum diu noctuq̄ue in cordibus
 nostris versemus. Sic enim tempestiuos &
 suaues fructus, fide verbis tuis adhibita
 proferemus, neque spiritus Sancti ornamen-
 tis exspoliabimur, imò successus sælices per
 petuo nostras actiones consequentur. Iam ve-
 rò exigentibus peccatis haud sumus absimi-
 les quisquilijs susq̄ue deq̄ue tribulationum
 flatibus iactati. Da saltem Optime pater vt
 non instar improborum vitā nostra male dī
 spereat, sed vt iustorū causa à te summa cu-
 ra & protectione defendatur quo in iudicio
 & cætu iustorum stemus & non causa cada-
 mus: per Iesum Christum dominū nostrum,
 Amen.

EX E O D E M.

Cum iam nobis expositum sit omnipo-
 tens Deus, bonam partem nostræ sæ-
 licitatis dū hic viuimus in eo sitam vt pra-
 na caueamus consilia ac perditos mores, vi-
 temusq̄ue illorum consortiū qui omnia con-

P R E C E S

temnunt atque rident utque in hanc pestium locum succedat eximium divinæ legis studium in qua diu noctuque & versemur & meditemur. Vnde ab hoc nostra salutis scopo cum sentiamus nos plurimum aberrasse, imò in hæc misere peccare, te rogamus ut pro tua misericordia qua deliquimus ignoscas, nosque posthac verbi tui perpetuò studio atque usu reddere digneris fructuosas plantas, qui non modo fructus in ecclesia demus saluatares dum vivimus, verum etiam in altero seculo coram te, qui viam iustorum optime nosti, possimus in iudicio subsistere: Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO II.

HOC tēpore sentimus Deus Opt. Max. non solum antichristum sed omnem vim & potentiam mundi aduersum te conspirasse & Christum tuum: ut qui putent euangelium & ecclesie instaurationem esse vincula intollerabilia & iugum durissimum, idcirco annuntuntur omnibus rationibus, ut fidelium societates disrumpant & omnem abijciant disciplinam. Verum cum tu
in

in cælis resideas, nilque te lateat quid diabolus aut carnis impietas moliatur, derideas eorum consilia inania & cassa reddas eorum incepta, ac illos vicissim ludibrio & subsannationi ponas electis tuis. Fac ut ipsi te iratum sentiant, ac furore indignationis tue demum exterreantur, ita ut ecclesiam tuam delere non valeant: cui tu prefecisti Christum Iesum unicum seruatorē nostrū, ut in ipsa verbo & spiritu suo inuictè & potentissime regnet. Quare nobis licet indignis ac desertoribus filijs tuis tantum largiri digneris fidei atque constantiæ, ut illum unicum regem nostrum & habeamus & identidem confiteamur, nosq; illius gentem populum ac hereditatem esse minime dubitemus. Id probè scientes quod tanta vi præditus sit atq; potentia, ut imperio plusquam ferreo quos velit torreat, utque figulinas testas imminuat. Idcirco reges terræ & Deus ad te conuertas ut sapiant, ut filium tuum vere agnoscant amplectentur & osculètur: ne ira eius succensa ilico pereant, atque eos qui tue fidei se prorsus commiserunt, eternū quando visum fuerit beatos reddas per Christū dominū nostrum, Amen.

P R E C E S

E X E O D E M.

Quamuis fremat Deus Opt. Max. dis-
 bolus, quotidie insurgant mundi po-
 testates, & caro cum suis man-
 cipijs conspiret, aduersus regnum vnigeni-
 ti tui domini nostri Iesu Christi: nos atque
 intelligamus & fide constanti persuasum
 habeamus, te huiusmodi omnes ridere atque
 contemnere: qui statim atque libuerit in ira
 atque furore tuo valeas illos opprimere.
 Qua in fide cum finis nonnunquam infr-
 mi, ita ut varijs adducti terroribus minus
 quam decuit mandatis tuis pareamus, no-
 bis pro tua bonitate quæsumus fias propiti-
 us, ut firmiter statuamus filium tuum re-
 gem ac redemptorem nostrum, summam a-
 pud te omnium rerum habere potestatem.
 Nam cum illum genueris omnes gentes illi
 tradidisti hereditario iure regendas. Conce-
 das itaque ut tandem quandoque bene sa-
 piamus, ac ita erudiamur, quo tibi seruien-
 do cum omni timore atque honore, in extre-
 ma die instar figulinae testæ à virga indi-
 gnationis tue non atteramur: Per Iesum
 Christum dominum nostrum. Amen.

EX PSALMO III.

Supra modum aucta sunt copia, Deus Opt. Max. illorum qui adoriuntur Ecclesiam tuam, complures eam iam infestare audent, & in ipsam crudeliter insurgunt, non sanè alio freti consilio, nisi quod apud se statuunt, non esse abs te salutem nobis amplius sperandam, quasi tu omnino populum tuum deserueris ac omni presidio & defensione exarmaueris. Non profecto inficiamur, dum peccata quibus te offendimus intuemur, esse commeritos, vt auxilio tuo destituti, ludibrio, contumelijs & iniurijs hostium tui nominis exponamur. Sed nihilominus pro fide qua in nobis tua misericordia superest, audemus te accedere, & precamur quo in his aduersariorum exprobatibus tantum Spiritus & constantia digneris nobis suppeditare, vt te vnicum presidium, decus & vindicem fore populo tuo non dubitemus: qua fiducia confirmati, si tuum auxilium inuocationibus implorauerimus, è tuo cœlesti habitaculo nobis proculdubio annues, dum sumus hac tua protectione securi, tantum aberit paupor, etiamsi complures ho,

P R E C E S

ſium myriades nos obſideant, ut ſolito mo-
 re ſomnũ capiamus & expergiſcamur dum
 tibi vni fortiter innitimur. Ita que iuxta
 conceptam hanc fiduciam, ò Deus, exurgas,
 atque vt conſueuiſti, eorum qui aduerſum
 te ſe efferunt dentes confringas, ne pro libi-
 dine Eccleſiam tuam dilacerare valeant,
 oſtendatq; tuam eſſe ſalutem, atque tua bo-
 nitate poſſe adhuc his extremis caſibus iuuari
 populum tuum, per Ieſum Chriſtum Domi-
 num noſtrum, Amen.

E X E O D E M.

Quaſi videntur omnipotẽs De-
 us indies augeri ſatana vires, ac om-
 nium aduerſariarum pote-
 ſtatũ qua nobis cupiũt interuvertere filij tui
 regnũ, noſq; conantur in deſperationẽ agere
 quaſi noſ amplius nulla ſalus in te maneat.
 Attamẽ etſi grauatõs noſ admodũ ſentimus
 peccatis, ad te qui noſter clypeus eſt & glo-
 ria, caput ac manus attollimus, teq; rogamus
 vt qua tua eſt miſericordia condones qua
 perperam admiſimus, & precibus ac votis
 qua coram te effundimus benigne reſpon-
 deat. Quo excitati ab operibus mortuis ac
 tua

tua gratia bene freti non metuamus hostium tui nominis infinitas myriadas, quos iam fide intelleximus abs te in maxilla percussos & fractos. Da optime pater ut super nos ubertatem sentiamus tue benedictionis, & abs te vno salutem nostram pendere habeamus persuasissimum. Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO IIII.

Inuocamus te, omnipotens Deus, maximis angustijs & periculis coarctati, ut adiuti ope tua, ex presentibus tribulationibus demum patentes & latiores habeamus exitus. Nos fatemur esse indignos tuis auxilijs, ut qui abs te frequentissimè ac graviter auersi fuerimus. Tu autè digneris, precamur, non actiones singulas nostrum spectare, sed causæ dignitatem. Cumque Deus vindex iustitiæ verborum tuorum esse consueueris, tuearis modo potenter cultum & Euangelium tuum, nobis etiam pro tua voluntate correctis & castigatis. Hoc in presentia coram te deploramus, potentiores huius mundi summis vniti conatibus, ut gloriam Euangelij & religionis tue in dede-

P R E C E S

cus, imò in nihilum redigant, ob inania studia & spes fallaces quas sibi proposuerunt. Utinam, Deus, illis patefaceres ac demonstrares formam veræ Ecclesiæ, quã tibi delegisti, quamque audis, cum fideliter suis precibus & clamoribus te inuocat. Fortè sentirent, magis commouerentur, sibi que cauerent, ne in illam peccarent: reputarent se cum, vel in strato suo, quæ illius sit habenda ratio, & fortè conuiescerent, adduciq; possent, vt veræ iustitiæ cum ea sacrificia offerrent. At nunc obcæcati, nil magis exoptant, quàm suam rabiem contra illam explere, idque pro summo bono habent, vt ipsam euertãt. Nos autem, ô Deus, quotquot colimus te in spiritu & veritate, pro ipsorum hostiũ salute sæpius te orauimus: cumque illis bona & felicitia prouenirẽt, ex animo letabamur. Da itaque, pro tua misericordia, vt demum pacatè & tranquillè per ipsos viuere liceat, da, inquam, vt in te uno conuiescamus, & tuæ fiduciæ innixi tecum securè habitemus: Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

DEus, à quo est omnis nostra iustitia, vt
qui

qui es bonus, consueuisti semper ad te clamantes audire, & ex angustiis rebus ad liberiorē fortunā educere, te rogamus, ne despicias tuum implorantes auxilium, nec patiaris ad ignominiam deduci gloriam nostram, quæ est vera pietas, à quamuis huius mundi eximia potestate: peccauimus quidē in te, & admodum grauiter: sed quæ tua est clementia, caue, ne vanitas & mendacium in nos præualeant. Verum quemadmodum tibi delegisti quos velis seruatos, ita super nos gratiam atque fauorem tui vultus resplendere facias, vt vel hostium nostrorum prosperitate exhilareremur. Largire, optime pater, vt freti eximia fide, in te vno acquiescamus, & abs te vno collocemur in tuto, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO V.

Confugimus ad te, Omnipotens Deus, quotidie nostris precibus, & vota nostra coram te mane disponimus, non ignari, quod iniquitates oderis, & peccata mirum in modum detesteris: quibus etsi nos teneri non inficiamur, nam illis grauari supra mo-

P R E C E S

dum sentimus) at tamen largiſſimæ bonitatis tuæ copia freti, ad te accedimus. Rogamus te, vt quicquid in te peccauimus, velis ignoſcere, nosque poſt hac deducas in tua iuſtitia atque innocentia, ne aduerſarij ſalutis noſtræ, in quibus nihil eſt ſani, ſed omnia vitioſa, contra nos praualeant. Fruſtrentur eorum conſilia, vires & conatus diſperdantur, quò tibi fidentes lætitia ſolida fruamur, dum nos protegiſ, foueſ, & inſtar ſcuti ambis tua beneuolētia, per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, Amen.

EX PSALMO VI.

Meremur proculdubio, Omnipotens Deus, pro noſtris malis admiſſis, ac infinitis culpis, abſ te ſeueriter caſtigari: ſed rogamus, confiſi ſummæ miſericordiæ tuæ, ne in nos ira aut furore animaduertas. Contremiſcimus, optime pater, ac penè exanimamur, dum noſtrorum peccatorum ac tuæ iuſtitie in mentē venit: ne itaque, precamur, vt malè meriti ſumus, nos detrudat ad inferos, quandoquidem ibi neque te canere, neque laudibus efferre poterimus. Hoſtes noſtri mirum in modum id fieri cupiūt,
ſed

sed tu ô, Deus, respice lachrymas confidentium, & à nobis recedere facias authores iniquitatis. Denique, ita nos audias, vt p̄n deficiat & consternentur quotquot & saluti nostræ & gloriæ tuæ aduersantur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO VII.

Nosti, Deus Optime Max. quanto studio nos oppugnent diu noctuque aduersarij nostræ salutis, qui, nisi tu adsis, instar ferarum crudelissimè nos dilaceratos & absorptos in æternum exitiũ cupiunt. Verum quemadmodum tibi vni fidimus, ita precamur, vt nobis adesse velis. Non iustificamus coràm te causam nostram, quasi nihil admitterimus eorum, de quibus nos insimulant, sed, mediatoris nostri Christi Iesu intercessione, ea condonari à tua misericordia persuasi sumus. Idcirco, quæ sumus, vt in nostrũ auxilium exurgas, dirigas, & vt clypeus firmissimus, defendas, quò, in tentationum fraudũ & malitiæ authores, nos mala ipsa recidant: nos verò, te celebremus, ac nomen tuum efferamus quàm doctissimis laudibus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

P R E C E S

EX E O D E M.

EST profecto singulare beneficium omnipotens Deus mandatorum tuorum observantem esse, verum quod illis minime contingat à quorum oculis ipse velamē & tenebras non detraxeris, cum alioquin arcanæ tuæ legis à cæcutientibus minime conspiciantur. Imploramus itaque opem & lucem à te nostræ infirmitati atque inscitie: ut dum vitam hanc peregrini degimus ne celes à nobis tuorum mandatorum puram atque legitimam intelligentiam. Quæ cum hætenus nostro vitio fuerimus parum inffituti, in hæc opprobria in hunc contemptum, in has obrectationes incidimus. Periculis & afflictionibus quibus hodie vexatur & premitur ecclesia tua, adijciuntur contumeliæ doctrinæ, conuitia veræ pietatis, & horrendæ blasphemie nominis tui. Remittas ergo populo tuo et ignoscas ô Deus quæ in te commisit, & iacentes recrees verbo & promissionibus tuis. Tibi audacter causam nostram singulo quoque die exponimus: exaudias quæsumus, ac nutantium fidem & spem novis beneficijs subinde confirmes

confirmes, neque inuocantes te pudefacias, quo rursus pacati atque in amplum restituti, viam mandatorum tuorum summa alacritate percurramus: Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO VIII.

Omnia illa, Deus Opt. Max. quæ cum in cælo tum in terra condidisti, in vestrum commodum & summam utilitatem, attestantur manifestissimè, quàm sit admirabile & magnificum nomen tuum. Et licet in omnibus tua bonitas diffusa sit & conspiciatur, nihilominus cõfirmamur, ut de ea nil polliceamur nobis nisi eximium vel ab infantia humane proles, quam sic statim charitate summa ali vis & curas foueri. Ut dum nutriuntur infantes, vel dum loqui incipiunt tue benignitatis certissima indicia nobis proponant. His miraculis, quotquot bonitati tue & providentiæ obtrebant, impij confutantur. Potuerunt quidem cæli opus videri dignum tuo artificio, sed quod te ad hominem caducum atque mortalem tam sollicitè curandum volueris adeò demittere, videtur maxima &

P R E C E S

admirabilis pietatis tuæ signum. Quare ite-
rum & merito incitamur, quãuis peccauer-
imus, quamuis indignè, & te & nostra vo-
catione vixerimus, vt summa fiducia te ro-
gemus, ne tuam ecclesiam presentibus ma-
lis permittas succumbere. Si enim abiecit
alioquin natura sua hominem sic euexisti,
vt paulò minor sit angelis, memineris qua-
so & illorum multo magis, quos tibi iam
in filios cooptasti, & quibus voluisti pro
tua misericordia omnia opera manuum tua-
rum inseruire & subijci, ne illos permittat
ab impijs conculcari. Semper consueuisti fi-
lios hominum tua cura inuisere, nos quoq;
nunc tuo auxilio visites, quãdo maximo pe-
re indigemus. Eripias nos, oramus, quo no-
men tuum ex eo omnes, vt est, intelligant
admirabile esse, & omnibus modis suspiciẽ-
dum, per Iesum Christum dominum no-
strum, Amen.

EX EODEM.

EX his quæ tua vi & prouidentia cum
in cælis tum in terra fiunt omnipotẽs
Deus, magnificentia & gloria tua se satis
superque exerit, ni etiam ad excitandos no-
stros

Nos plusquam plumbeos animos in paru-
 lis & infantibus tua potentia se declara-
 ret. Miseri sumus & abiecti, non quidem
 opera & industria qua nos finxisti, sed ge-
 nuino peccato & infinitis culpis quæ ipsi-
 met adiecimus, quibus nihilominus preca-
 mur ne ita sis nobis offensus, quin ut con-
 sueuisti frequens nos interuisas, & quos an-
 gelis paulò minores voluisti tuæ ipsius na-
 turæ consortes facias. Cumque nos tuarum
 omnium creaturarum dominos legitime
 constituueris da ut illis ad laudem & glori-
 am tui nominis utamur, quo tuum verbū
 & euangelium ad omnes mortales propa-
 getur. Per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

EX PSALMO IX.

SI causam nostram susceperis, ô Deus,
 nosque ab hostibus tui nominis & hu-
 manæ salutis vindicaueris, ex toto corde et
 summa lætitia narrabimus, celebrabimus-
 que tua eximia gesta. Nostra quidem culpa
 tentationibus & huiusmodi pressuris affli-
 gimur, sed te per tuam bonitatem atque mi-
 sericordiam obtestamur, ut qui oppressis ad

P R E C E S

te confugientibus consueuisti asyllum esse, ne nos deseras, neue has preces, quas tibi sedulo effundimus, videaris obliuioni tradidisse. Miserere nostri, o Deus, & à portis mortis eximas, ne illis absorbeamur. Abs te adiuti, laudes tuas in Ecclesia deprædicabimus, quod nimirum in te haud in cassum sperauerimus. Exurgas igitur, ne impietas, in iustitia, & peccata in nos præualeant, ac largire, ut probè memores conditionis nostræ, modesto demissoque animo tunc uoluntati perpetuo subijciamur, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Factum est sæpius patrum tempestate, Deus omnipotēs, ut perfusus fuerit populus tuus admirabili gaudio, ac totus letabundus, nomen tuum cantibus extulerit, et summis laudibus celebrarit, idque ex toto corde, eò quod te protegente hostes ipsis in prælio terga dederint, impegerint, & perierint à facie tua. Neque semel iudicasti pro sanctis tuis, aut illorum causam asseruisti, frequenter gentes increpuisti & perdidisti, qui extrema vastitate vrbes præclaras
popu-

populi tui secū statuerūt euertere, ac ita de-
leuisti huiusmodi improbos, vt nomen quo-
que illorum fuerit abolitum. Cum itaque
aeternum regnes, & semper tribunal para-
tum habeas, vt effuso sanguine sanctorum
questiones instituas, in presentia, ô Deus,
ne spernas, aut obliuiscaris precum nostra-
rum. Scimus quidem nos peccasse, & pluri-
mis modis offendisse maiestatem tuā, quod
nunc, & dolemus ex animo, & apertè fate-
mur, tamen pro fiducia, quam erga te geri-
mus, ex his concepta, quæ patribus nostris,
etiam immeritis cōtulisti, accedimus te, ac
oramus, vt miserearis Ecclesie tuæ: respice
quæsumus, illius afflictionem, eamque eri-
pias à portis mortis, quo laudes tuas indies
ardentius valeat celebrare. Iram tuā osten-
das aduersus illos, qui tui obliuiscuntur.
Suis malis artibus dolisque pereant, ac suis
capiantur retibus, qui tali studio ac violen-
tia populo tuo exitium quæerunt. Nos verò,
qui inopes & afflicti sumus, iam tua defen-
sione respiremus. Exurge, Deus, nec sinas ab-
iectos mortales in te præualere, & tuū san-
ctum Euangelium. Terrorem incute hosti-
bus, vt intelligant, quid sit, pietatem & re-

P R E C E S

ligionem adoriri, per Iesum Christum domi-
num nostrum, Amen.

E X P S A L M O X.

CVM te credamus, Deus Opt. Maxime non tantum esse summum bonum, ve-
rum ipsam bonitatem, cupimus vehemen-
ter, ne tuum fauorem, quemadmodum in-
terdum fieri videtur, à nobis auertas. Et
quanquam non diffiteamur, id supplicij no-
stra mereri peccata, precamur attamen, ut
clemens & misericors es, illa nobis abs te
ignosci: quodque ipsi non meremur, faueas
nihilominus causa nostra, pro gloria tui no-
minis, ut sentiât impij se falso statuisse, te
nullum esse, nec nunquam de manu ipsorum
inquisituum facinora que designant: insi-
diantur, opprimunt, cœdunt & miserè con-
ficiunt pios, iam persuasi te humanarum
rerum oblitum. Adsis igitur te inuocanti-
bus, & eorum vota clementer exaudias, ut
pij abs te in libertatem asserti, doceant su-
perbos & violentos modestius agere, cum
te perspectum fuerit Ecclesiam vigilantis-
simè curare, per Iesum Christum dominum
nostrum, Amen.

EX EODEM.

Posses videri, clementissime pater, hoc
 afflictissimo tempore te quàm longis-
 simè à tuis abduxisse, ita vt clausis oculis
 videre negligas quæ ab impijs Antichri-
 stis contra plebem tuam extrema superbia
 ac summa improbitate geruntur, quando-
 quidem tam secunda illis eueniunt quæcum-
 que instituerint, qui fit vt pro libidine fe-
 rantur, in te iactent conuitia, imò Deum
 non esse persuasissimum habent, cumq; vi-
 deris omnem ab illis amouisse vltionē, nun-
 quam se arbitrantur nutaturos, ac fælicia
 sibi perpetuo pollicētur, vnde periuriorum,
 fraudum, iniuriarum & improbitatis nul-
 lum modum faciunt, ac fideles tuos cùm pu-
 blicè tùm clàm occidunt, Ecclesiam inua-
 dunt, affligunt & deprimunt, atq; ò Deum,
 nullam eius curam te habere existimant.
 Nunc autem, et si probè meriti sumus, vt à
 nostris calamitatibus oculos auerteris, vt-
 que nostra abs te negligantur vexationes,
 peccauimus enim grauiter, tuisque sum-
 mis beneficijs supra modum fuimus ingra-
 ti, vocatione, Euangelio, Sacramentis ab-

P R E C E S

si sumus, contemnendo facultatem nobis oblatam, tibi liberè iuxta verbum tuum inferuendi: hæc omnia, & innumera alia flagitia in te commississe agnoscimus, quorum nunc veniam enixè precamur, ac rogamus, quo tandem exurgas, ac manu tua reprimas impium à maledictis, quibus & te & doctrinam tuam incessit: miserosque nos tibi committimus, qui alioquin destitutis & pupillis esse soles adiutor. Impiorum tandem confringas robur, audias afflictorum vota & oppressos demum vindices, quo in Ecclesia soluti à tantis terroribus, debitas pro tua misericordia tibi gratias agant, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XI.

IN te, Deus Opt. Max. omne nostrum presidium atque fiduciam collocauimus, idcirco quando nostra caro, humana prudentia, impij homines obijciunt nobis, iam euersam causam nostram, neque spei quicquam superesse ad tuendam veram doctrinam & sanctum Euangelium, non propterea adducimur, vt de tua misericordia atque potentia desperemus. Videmus quidem

dem hostes tui nominis arcum virium suarum tendisse, & paratas habere sagittas ad nos transfigendos. Ad hæc etiam animaduertimus, nos ita vixisse, ut omnia aduersa & calamitosa mereamur, non enim, ut filios morigeros decet, tibi obsequanti sumus, imò rebelles, proh ò dolor, mandatis tuis hætenus semper fuimus. Nunc verò, peccatorum nostrorum veniam supplices rogamus, & id præcari audemus, freti bonitate & clementia tua, ut qui in cælis habes regiam, & solium tuum sacro sanctum, vnde omnia quæ in terris aguntur soles despiciere, huius causæ iustitiam tandem examines, videasque improbitatem & violentiam hostium: & qui sæpius ignem, sulphur & ardentia fulmina consueuisti immittere in sceleratos, Ecclesiæ tuæ persecutores saltem compefcas, ut omnes agnoscant, te iustum iustæ fauere causæ, & nos voluisse defendere, qui studium gloriæ & nominis tui suscepimus, per Iesum Christum dominum nostrum,

Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

Cum tibi vni Deus Opt. Max. pro viri-
 bus confidamus non desunt carnis no-
 stre affectus, improbi homines, ac demonum
 insidie, quibus diu noctuque incitamur et
 desistamus à pietate, quasi arcubus et sa-
 gittis et inimicorum violentia sumus pro-
 fus opprimendi, si tibi vivere pergamus. At
 nos tametsi peccatis et iniquitatibus obru-
 ti sumus, nihilominus tua misericordia fre-
 uentiam oramus, ut culpas imprimis eas tibi con-
 fitentibus remittas. De hinc ut è tua cæle-
 sti regia vultum conuertas placide in no-
 strum auxilium. Cumq; iusto examine pro-
 baris vtrinque causam, pietatis hostes meri-
 tas pœnas luant: ac vicissim tui salutis be-
 neficio experiantur, te recti et iustitiæ pro-
 pugnatorem esse: per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

EX PSALMO XII.

In tanta bonorum et piorum hominum
 penuria, tu solus nobis Deus Opt. Max. re-
 lictus es praesidium, idcirco nostris his quo-
 tidianis precibus ad te confugimus, oran-
 tes,

tes, ut nostris afflictis rebus demum opem
 feras: nisi enim tu defendas Ecclesiam, qui
 tuta esse poterit inter illud genus hostium
 qui fidem minimè colunt, semperque conan-
 tur simplicibus, uanis mendacijs & falsis
 blandicijs, imponere, nec vnquã corde sen-
 tiunt quod verbis proferunt. Ne tradas nos
 ipsis, optime pater, tractandos, ut iniquita-
 tes & peccata nostra merentur: spectes hic
 nominis tui gloriam; Euangelij propagatio-
 nem, atque tuorum promissorum fidem non
 propter nos vertere commemoratis de cau-
 sis: ne feras istos, qui suam tantum querunt
 amplificare potentiam, cumque sint à pie-
 tate alieni, te omnino ignorat. Videas affli-
 ctionem & gemitus Ecclesiæ tuæ. Exurgas
 iam, nobisque sis, ut promisisti, auxilio. Ver-
 ba tua candida sunt atque argento optimo
 puriora. Et dum impij quique ad summum
 potentiæ aspirant, Ecclesiam tuam, pro
 tua misericordia & fide ab illorum iniu-
 rijs et oppressione defendas, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Quando inter mortales, cælestis pater,

P R E C E S

dum in hoc mundo viuimus, piorum, Vera-
 cium, ac fidelium hominum est summa pe-
 nuria, improborum verò, fallacium, blando-
 rum, atque magniloquentium vberima
 copia, preces ad te, refugium nostrum, op-
 portunè fundimus, vt, quæ perperam in te
 commisimus, non respicias, quo libidini et
 furori sceleratorum hominum, quemadmo-
 dum meremur, vel opprimendos, vel cor-
 rumpendos nos permittas. Sed potius, pro
 vt tua misericordia est ingens atque am-
 plissima, exurgas, & salutari potentia eri-
 pias tibi fidentes, à laqueis, fraudibus &
 technis, quas aduersum illos omnis pieta-
 tis hostes perpetuò moliuntur: Vt dum ser-
 uaris eos à praua atque pestifera genera-
 tione, omnes intelligant tua promissa tuos-
 que sermones cum summa veritate orna-
 tos, tum ab omni mendacij labe purissi-
 mos, Per Iesum Christum dominū nostrum,
 Amen.

EX PSALMO XIII.

DVM vident pij homines, Omnipoten-
 tens Deus, grauibus afflictionibus
 se

se premi, & duris iactari calamitatibus, verentur ne sui obliuiscaris, vel ab ipsis fauorem tuum auertas. Huiusmodi consilia aut suspiciones, faxis ne in animum nostrum inducamus. Abs te quidem, ob nostras grauissimas culpas, meremur desereri, sed tu, ô Deus, propter honorem nominis tui, ne siueris insolentes pietatis hostes, aut præualere, aut instar victorum insultare fidelibus tuis. Illustres, quæsumus, tuo spiritu oculos mentis nostræ, quo videntes & approbantes quæ recta sunt, in tuo cultu non aberremus, neque ad bene viuendum reddamur ignaui. Sic enim aduersarijs nostris materia exultandi subtrahetur, vosque tibi habebimus (vt meritis es) æternas gratias, per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

E X, P S A L M O,
XIIII.

Avertas à filijs tuis, Omnipotens Deus, nepharia illa consilia, & insipientes cogitationes, quibus nobis in animis fingamus te nullum esse. Et quanquam te non lateat, vt à recto & iustitiæ calle sepe de-

P R E C E S

elinauerimus, qua de causa probè sumus cō-
meriti, vt à sceleratis & furiosis hostibus
pietatis, instar panis ac delicatissimi cibi,
& deuoremur, & consumamur, se nihil-
minus, supplices, precamur, vt quemadmo-
dum pollicitus es, generationi istorum, &
tibi fidentibus velle adesse, nos ita miseris
& afflictos ne deseras. Appareat è cœlesti
Zion auxilium, vt cum nos à captiuitate
peccati, diaboli & mortis vindicaris, & re-
ficiatur, & exultet vniuersa Ecclesia, per
Iesum Christum dominum nostrum, Amē.

EX PSALMO XV.

Cum in æterna felicitàte ac tuo cœle-
sti regno, omnipotēs Deus, nulli pos-
sint habere locum, nisi qui mundi à culpâ
fuerint, & à labe scelerum incontaminatis,
qui & cor, & linguam, & facta externa
tuo cultui sic emanciparint & dedicarint,
vt nullum è tuis iussis per negligentiam
aut malitiam omitat. Hinc iam sentimus,
si ex meritis, & nostrorum operum dignità-
te agendum sit, quàm procul inde simus, at-
que vt nostra salus ferè sit deplorata. Sed
precamur audacter, tua bonitate freti, vt
missa

missa fiant nostrarum actionum merita, tua
 verò promissa, quemadmodum credimus,
 firma & inconcussa maneant, nobisque abs
 te receptis in gratiam largiri digneris, vt
 posthac iustitiæ, veritatis & charitatis or-
 namentis insigniti, à tuæ fœlicitatis domi-
 ilio nunquam diuellamur, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XVI.

CUM nos simus ad eò inopes, optime
 pater cœlestis, tuque omnium rerum
 & amplissimorum operum ditissimus, nil
 sanè datum est nobis, quo tuam fœlicitatē,
 vel donare, vel augere possimus: sed tamen
 cum in te speramus, adsumus tuæ maiestati
 supplices, vt nos à circumfusiis ex omni par-
 te malis conserues, & remissis iniquitati-
 bus, quibus onustos vides, cōcedas, vt quē-
 admodum factus es nostra hereditas, ita nos
 vicissim te vnico delectemur, incundumq;
 & pulchrum perpetuo habeamus, te vnum
 & predicare & commendare. Tu erudi-
 as, tu des consilium, tuque nobis ob oculos
 semper maneas, ne à recto vnquam deslecta-
 mus, quo læti, dum hîc viuimus, in te exul

P R E C E S

temus, & post beatam resurrectionem, delectationibus perfruamur solidis, quas duntaxat in manu tua positas esse credimus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XVII.

ORat Ecclesia tua, omnipotens Deus, ut ipse tandem iustissimam causam respicias, ad te voces unoquoque die attollit: quare preces audias, quas fidei animo in conspectu tuo effundit. Agnoscimus probe, nos alijs innumeris peccatis grauatos, ita ut eorum veniam quotidie ab te petamus: sed illorum quae nos accusant aduersarij nil sumus nobis conscij. Quare vel te iudice, si examinetur ista causa, scimus nil inueniendum quod ex verbo tuo damnari possit. Tantum enim contendimus, ut religionis ac pietatis instauratio prouehatur, ad mandatorum tuorum obseruationem & synceriores legis obseruantiam. Ista cum nobis cura summa pericula imò vicinum exitium, ni tu auerteris pepererit. Oramus ut magna constantia gressus nostros, alioquin lubricos, confirmes in semitis tuis, quo in his aduersis neque vitemus neque frangamur.

gamur. Hinc potes, ô Deus, admirandam facere bonitatem tuam: si tibi confidentes in expectato seruaueris, non autem nos tantum, verum & te eadem opera vlcisceris, quandoquidem isti aduersum te præcipue consurrexerunt. Sub vmbra itaque alarum tuarum nos tuearis, quoque magis videntur illis prospera succedere, vt iam leonis instar nostris ceruicibus immineat, tu eorum anteuertas furorem, ac vitam fidelium tuorum ab illis eripias, largiarisque vt agnoscendo te, cum in hac vita, tum in futura sint hostibus suis longè feliciores, quod presenti fortuna plus æquo exultent, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

IAM ideo precamur, omnipotens Deus, quod te non diffidimus auditorum vota nostra, quæ non ex hypocrisi vel dolo, imò sincere atque ex animo coram te profundimus, cum iudicio tuo, magis quam hominum, probari desideremus, Da, vt, quando tentamur & exploramur aduersis, nihil in nobis somperiat, quo rei æterni exitij condemnemur: sed cum natura mali simus, qui hos

P R E C E S.

fieri poterit ingressus nostros gratia & spiritu tu ipse fulcias? & ita fulcias ut misericordia tua ex nostra salute se mirabiliter exerat? Nos itaque custodias ab his omnibus qui Euangelij potentie resistunt, & voluntati tue pro viribus aduersantur. Vides, quomodo ab inimicis obseruamur, instar leonis pradam nos facere cupiunt. Sunt quemadmodum gladius, ô Deus, manus & instrumenta iræ tue: ab illis nihilominus sub umbra & tutela alarum tuarum nos defendas, quo dum hic viuimus, tuo fauore exhilaremur, & in beata resurrectione, summa voluptate presentie tue fruamur, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XVIII

Agnosimus, Omnipotens Deus, te vnum esse nostram salutem, clypeum, munitiorem, robur & tutum perfugium: idcirco & vehemēti dilectione erga te afficimur, & te cupimus æternum celebrare. Sed iam nostris exigentibus culpis, ita ab hostib. grauiter premimur, ut mortis angustias, examinati ferè, experiamur. Vnde nobis

his nil videtur aliud præsidij superesse, quã te inuocare, & ad te sedulo precibus nostris vociferari, cui cum montes, terra, cœli, fulgura, venti, nubes, pluuie, grandines ac tēpestates absque vlla cunctatione parēt, erit facillimum à quamuis potentissimis hostibus nos eripere. Quod præcamur, ô Deus, vt Ecclesie tue votis largiri digneris haud nostra respiciēdo mala merita, sed bonitatem tuam imprimis, deinde cause ipsius iustitiam, ita vt cū sanctificatis tuis sancte agas, & contra cum prauis perturbatè. More solito populum tuum afflictum serua, ac in tantis ymbris lucernam fidei & consilij ei accende, vt alium clypeum aut propugnatorum præter te non agnoscat. Da, optime pater, vt inoffense gradiamur, quo in tantis periculis fiducia nostræ pedes minimè nutent. Instrue tuos ad bellum: confundantur, ô Deus, qui tibi resistere adnituntur, vt propterea celebretur in omnibus gentibus nomen tuum, quod Ecclesie tue magnificè salutem pepereris, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CVM natura simus admodum imbecilla,

P R E C E S

& vndique circumfusi crassissimis tenebris, te accedimus, Omnipotens Deus, ac rogamus, vt in animo nostro accendatur lucerna tui spiritus, ita enim sermones tuos impollutos, & castissima eloquia sanctarum scripturarum, percipiemus, quibus luculentissimè promittitur, te forte protectorem omnium in te sperantium. Non merentur sanè quæ admisimus peccata, vt tantum fauoris & auxiliij abs te impetremus: sed hæc fieri nobis optamus, per gloriam tui amplissimi nominis. Cum itaque non sit alius Deus, qui te vel potentia, vel bonitate adæquet, tu ipse nos ornes sanctitate, atq; præsingas robore, quò semel ducamur ab imminentibus periculis, ac de hostibus & nostræ salutis & gloriæ tuæ triumphemus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

NON possumus, Deus Opt. Max. te non vehementer amare, cum fide, quæ nos donasti, probè videamus te vnicum nostrum refugium, firmamentum atque liberatorem. Conciliarunt nobis peccata nostra sæpius mortiferos dolores, inimicos validos,

dos, ac vehementes, instar torrentium, qui tribulationes, laqueos, imò ipsam mortem nobis circumfuderint. Sed tu, ò Deus, qui vt summus es rerum administrator, in cælis agnosceris habere solium, ita pro tua misericordia, quæ infinita est, ad nos respicias, & cum nostris ignoveris culpis, fac vt ab ira tua, & extremis atque supplicijs, quæ de impijs consueuisti sumere, liberemur, dumque te innuocamus, da vt clamor noster & preces non fundantur in cassum, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

TV nosti, Domine Opt. Max. quot & quantos, & intus & extra patiamur aduersarios, qui vt nomen & gloriam tuam ferre non possunt, ita nostram quoque salutem pessimè odio habent. Quare non inmeritò adsumus tibi supplices, vt qui toties nos eripuisti damnationis & eterni exitij casibus, ita etiam nunc, nō obstantibus grauissimis culpis quas in te commisimus, & illarum modo nos ex animo pœnitet, velis tuo præsidio nos sic munire, vt vincamus & superemus, quicquid regno tuo se oppo-

P R E C E S

suerit, quo tandem vnū te vnicum propugnato-
rem & seruatorem nostrum, in frequentissimo cœtu hominū, & prædicemus
& celebremus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CVM simus, Cœlestis pater, dum hęc
viuimus in infinitis periculis, ad te
uota & preces nostras cōuertimus, quo ma-
num tui auxiliij ad nos porrigas, ac poten-
tissimos hostes nostræ salutis haud sinas præ-
ualere. Quando ab illis vehementer affligi-
mur, tunc declares te, ô Deus, protectorem
nostrum. Nulla est nobis iustitia vel puri-
tas actionum quam in conspectu tuo iacta-
re possimus: imò fatemur ingenuè, nos plus-
imum aberrasse à vijs tuis. Verùm, quæ
tua est misericordia, mala admissa ignoscas
& largiri digneris de tua gratia, vt post-
hac electi, sancti & innocentes viuamus,
quo te vicissim erga nos electum, sanctum
& innocentem experiamur, per Iesum
Christum dominum nostrum,
Amen.

EX PSALMO XIX.

Admirabilis potentia, sapientia ac bonitas, quibus natura tua, omnipotens Deus, cumulatissimè prædita est, nobis ubique se offert in rebus abs te conditis. Cælum sanè cum omnibus ornamentis suis, temporum vicissitudines, stellarum & potentissimi solis iubar, voces meræ sunt, & doctrina omnibus populis communis, à qua maiestatis tue præconia amplissimè celebrantur. Vnde fatemur, nos tam abiectæ fiducia nostræ, & infirmæ dilectionis erga te, nullam posse excusationem prætexere. Debuimus profecto istarum rerum auctoritate persuaderi, ut vni tibi tantorum bonorum nobis auctori indiuisse adhereremus: Sed, proh ô dolor, his contemptis monitoribus, nostræ carnis cupiditates, & nostre mentis insana ratiocinia atque figmenta sectati sumus, te omnium creatore posthabito. Et idcirco afflictiones, quibus exercemur, probè meriti sumus, qui non modo nature opera, ad te nos pertrahentia, contempsimus, imò verba tua, id est, sanctam scripturam, & Euangelium filij tui frigidè ac admodum inutiliter audiimus, &

P R E C E S

Unde animus recreandus erat, haurienda sapientia, lumen, hilaritas ac rectitudo, iram tuam contra nos prouocauimus. Nunc autem, & si his de causis nos tua misericordia videmur indignissimi, attamen oramus instanter, vt nobis ignoscas, neque pro meritis velis affligere Ecclesiam tuam. Da, quesumus, vt creaturas posthac salubriter admiremur, sintque nobis verba tua suauiora, nedum melle, sed omni humana voluptate. Auertas à nobis peccata, demonstratesque te verum populi tui & propugnatorem & redemptorem, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XIX.

Summa tua bonitate factum intelligimus, omnipotens Deus, vt à specie, ordine, decore pulcherrimo conditarum rerum, in animis hominum tui notitia ingenerari valeat, quem, vt suum sapientissimum authorem, cælorum orbis, diei & noctis eterna vicissitudines, ac solis speciosissimum iubar attestantur, nobisque sermonibus haud obscuris, & cognoscendū & admirandum demonstrant. Accesserunt ad
 hac

hæc, & leges tuæ sanctissimæ, quæ veram sapientiam, voluntatis tuæ testimonium, solidam voluptatem, cælestes delicias nobis mortalibus attulerunt. At nos vt miseri sumus, nullum finem fecimus abutendi vtrisque; his fidelissimis præceptoribus. Precamur itaque, vt nobis digneris ignoscere, quicquid contra tantorum monitorum præceptiones in te peccauimus, & da vt post hæc mundi structuram cum fructu contem-plemur, vtque tuarum legum sumus studiosissimi obseruatores, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XX.

Precamur quotidie, Omnipotēs Deus, vt regnū Domini nostri Iesu Christi au-geatur, atque adeò plenum tandem euadat, quod idem nunc quoque votis & precibus quàm instātissimè petimus. Memor itaque, & Deus, continenter esto, pinguis ac suauissimi eius holocausti, quod in ara crucis pro nobis obtulit, ac largire, vt ex triumpho plenæ ipsius victoriæ, nos & salutem, & incundam voluptatem capiamus. Tametsi idcirca nostram meritum euenturum nō diffi-

P R E C E S

remur, qui te nostra improbitate pluribus
ac infinitis modis offendimus: attamen ex
tua clementissima pietate illos pudefacias,
qui in curribus, equis & humanis viribus
fiduciam collocant. Nos verò, qui abs te om-
nino pendere decreuimus, ad salutem eri-
gas, & tuam flectas benignitatem ad pre-
ces quibus te oramus pro amplificatione re-
gni Iesu Christi domini nostri, per eundem
Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXI.

Regem nostrum Iesum Christum, Om-
nipotens Deus, à sua resurrectione cõ-
fitemur summa letitia, potentia & honore
præditum, apud te viuere: isque cum iam
obtinuerit, habeatque plenissimè quicquid
expeti aut desyderari possit ad summam fe-
licitatem, non poterit in nos quoque mem-
bra eius nõ diffundi, & redundare multum
de salute, donis & gloria ipsius: cuius fortu-
ne ac singularissimi doni, tametsi nos indi-
gnos agnoscimus, propter morum & vitæ
prauitatem: attamen, quando illius nos pæ-
nitet, minimè diffidimus eum nos iuuatur-
um, quin etiam constantissimè speramus,

ab illo demum cum vincendos tum profligandos, quot quot eius regno se opponunt. Da, quaesumus, Optime pater, ut irrita fiant eorum pestilentia consilia, agnoscatur tandem aliquando tua sublimis & illustris potentia, quo tuas laudes atque virtutes aeternum celebremus, per eundem Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXII.

Potuisti ferre, Omnipotens Deus, ut filius tuus Dominus noster Iesus Christus ita in cruce affligeretur pro peccatis hominum, ut abs te prorsus videretur desertus & omni auxilio destitutus. Qui tuis sanctis consueueras opem ferre, dum te inuocarent, seruatoris nostri preces videbaris aspernari, quasi vermis esset & non vir, sive populi, & opprobrium hominum: ac demum pertulisti, ut à furentibus Iudaeis, qui contra illum non minus atque rabidi canes, feroces tauri, ac rugientes leones grassabantur, morte satis ignominiosa occideretur. Quem tamen ita gloriosum postea à morte reuocasti, ut ea de causa à fidelibus eius membris perpetuo collaudetur ac celebretur tu-

P R E C E S

in nomē. Per illā itaq; tuā amplissimā misericordiam, qua es adductus, vt ita pro nobis traderes vnicum filium tuum in tanta mala, te oramus & obsecramus, vt Ecclesie tue afflictissime causam non sinas perire. Peccata nostra confitemur horrenda esse, propter que, non modo temporarium, sed eternum debetur nobis exitium. Sed tu, o Deus, non pro vt sumus in nobis ipsis, nos respicias, verum quo membra vnigeniti filij tui, ac nostrā causam Euangelij, que eadem tua est, quamq; aduersarij pietatis te deseruisse existimant, tuearis efficaciter, & potenter defendas, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

Cum nostrę redemptionis causa, Omnipotens Deus, filius tuus Dominus noster Iesus Christus ita sit passus, vt et proiectus & derelictus abs te videri potuerit: nam fluctibus acerbissime mortis in cruce obrutus, demum extinctus est, & quas ipsi merueramus, is victima factus innocentissimam, pœnas luit. Verum enimvero post tres dies à mortuis excitatus, in cōuentu discipulorum

torum adfuit, nomenq; & gloriã tuam est attestatus, non secus atq; paulò antè viuens inter eos consueuerat. Itaque cum nos, cùm agnoscamus tùm fateamur abusos tanta misericordia & infinita clementia, consumimus ad te supplices, vt quos dedisti inferi ac renasci in tanto mediatore, qui author & conseruator est nostræ salutis, largiri digneris, vt excitemur ad querendam totis viribus pietatem, pertrahamurq; vniuersi non modo præsentis, sed etiam posteritatis mortales ad te vnum piè casteq; adorandum & colendum, per eundem met Iesum Christum dominum nostrum. Amen.

EX E O D E M.

Acerbissimas pœnas, durissimosq; cruciatus, Deus Opt. Max. Iesus Christus filius tuus dominusq; noster pro generis humani salute pertulit. Nam cum in se ipsum transtulisset omnia mundi peccata, cum oportuit sic immaniter & atrociter diuexari, vt pro illis omnibus iusta lueret supplicia, demumque actus in crucem, vitam dulcissimam pro nobis effudit, quibus ea de causa remissionem pec-

P R E C E S

catorum, tuam amicitiam, æternam vitant
meruit, si tamen eius doctrina ac Euange-
lio fideliter crediderimus. Sed, proh ò dolor
ut fide sumus infirmi, ita facile tantorum
beneficiorum obliuiscimur: quin etiam in-
dignè viuimus redemptione, quæ Domino
nostro innocentissimo tanti constitit. Ideoq;
apud te, cælestis pater, hanc deploramus ca-
lamitatem, obsecramusque & obtestamur,
ne patiaris nos expertes esse fructus crucis
& mortis Domini nostri Iesu Christi, qui te
cum uiuit & regnat in secula seculorum,
Amen.

EX PSALMO XXIII.

VNiuerſi qui te pastorem habent, Om-
nipotens Deus, felicissimè degunt,
ut quibus perpetuo suppetant affatim pa-
bula cælestis doctrinæ, & Sancti spiritus fé-
cundissima irrigatio, vnde valeāt instau-
rari & animum recipere, quoties huius mū-
di casibus pressi vel persecutionum affli-
ctionibus fatigati fuerint. Quamobrem li-
cet nos agnoscamus tua cura & pastoritia
solicitudine indignos, qui te & verbū tu-
um sepius contempserimus, atq; ob nostras
graués

graves innumerasque transgressiones mereamur à tuis fortunatis ouilibus repelli: attamē freti misericordia & bonitate, quæ tibi genuina est & natura insita, precamur vt nos digneris instar ouium perditarū ad te colligere: ne finas vt erremus absque te per denia & saltus huius mundi. Vides iam vt sumus in media morte, adsis itaque vt omnem timorē excutiamus. Nunc opus habemus, vt baculo & pedo tuæ authoritatis nos confirmes & consoleris. Potes, modo velis instructissimo conuiuio doctrine ac Sacramentorum nos reficere, & largè portare spiritus & gratiæ calice, vel ipsis aduersarijs tui nominis intuentibus. Complectatur nos quæsumus perpetuo clementia et pietas, quam tuis impartire consueuisti, quod liceat in Ecclesia, quæ est domus tua, in fide & gloria Euangelij perseuerare, meritis et fauore Domini nostri Iesu Christi, qui tecum viuit & regnat in omnia seculorum, Amen.

EX EODEM.

Soles, Omnipotens Deus, quos tibi filios adoptaris, non minori cura & diligen-

P R E C E S

*via seruare, ac si oues essent, & abs te, qui pa-
 pe earum amabilissimo pastore, ad suam sa-
 lutem & vera commoda semper agerentur,
 quas, dum te magistro vtuntur, neque po-
 tus neque pabula destituunt quàm saluber-
 rima doctrine. Vnde perspicuum est, si nos
 fame aut siti veri boni in itinere huius ca-
 lamitosa vite conficimur, id eò fieri, quod
 auersi abs te, sequuti sumus alienos: hinc no-
 stra pericula, & miserabiles animorum ca-
 sus. Quare te oramus, fidelissime pastor, vt
 nos ab erroribus in viam reuoces, virga &
 pedo tue reſtitudinis corrige errantis & sto-
 lidi pecoris vitia, quo saluberrimis epulù
 tui sermonis atque sacramentorum demum-
 ritè, purè & castè vescamur, vnde nobis ca-
 put, cor & omnes animi vires impinguen-
 tur, atque ita fulciamur semper tua miseri-
 cordia, vt in domo tua nouissimè fruamur
 supremis eternitatis delicijs, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.*

EX PSALMO XXIIII.

QVI non solum terræ & vniuersa-
 rum quæ in ea continentur, Omni-
 potens Deus, author es, verum &
 homi-

hominem, eius colonum, tu ipse condidisti,
 atque dignatus es, doctrina legis & Euan-
 gelij mortales admonere, qua ratione pos-
 sunt denuò se tibi coniungere, à quo in hanc
 lucem profecti sunt, id est, in sancto monte
 Ecclesie, in quo tu versaris, consistere. Id se-
 nè ab illis requiris, ut cãdidi sint operibus,
 mundo corde, non addicti vanis & fluxis
 bonis, neque fraudum sectatores, aut periu-
 ri istos polliceris tuæ misericordie atq; be-
 neficentie fore participes. Debuit itaque no-
 ster is esse conatus, ut his rationibus te
 quasiuissemus. At miseri ab isto calle ve-
 ritatis atque iustitie defleximus, ac per
 abrupta vitiorum & voluptatum præci-
 pitia defecimus abs te. Vnde non mirum,
 si in tam difficilia tempora & perplexos
 casus incidimus. Iam vides quo loco sint
 res Ecclesie tuæ penè desolatæ atque euer-
 sæ. Quæsumus te, ne velis, ut merentur no-
 stra malefacta, vlcisci: sed pro gloria
 tui nominis, ut es potentissimus & vir-
 tute insignis rex, in cuius manu sunt om-
 nes exercitus & potestates, ita declaris
 in tuenda Ecclesia, & tuum fortissimum
 robur, & tuam erga credentes summam

P R E C E S

voluntatem, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

CUM omnium rerum, Deus Opt. Max. tu solus creator & author fueris vt existerent, citra controuersiam cum terrarum homines, qui eam colunt, tuos duntaxat esse certum statuimus, Verum enim uerò, ad te, qui vt dominus es omnium, ita etiam haberi, neque falso, extremum ac summum nostræ felicitatis, peruenire non datur, nisi quibus cor purum, innocentes manus, & constans fides in proximum suum fuerit. Nos uerò quando his ornamentis non sumus exculiti, sed potius uitijs deturpati, quæ omnino pugnant cum istis uirtutibus, tuam nostris precibus, quod superest, imploramus clementiam, vt qui rex gloriæ predicaris, diceris fortis & potens, bellique uictor & triumphator, bonitate tua longè superes ac vincas nostra mala, desque, vt licet immeriti, benedictionem & iustitiam abs te percipiamus, cum fidem & spem collocauerimus in Iesu Christo filio tuo, Qui te cum uiuit & regnat in omnia secula seculorum, Amen.

EX PSALMO XXV.

Nostros animos, vota, sermonē & manus ad te, Omnipotens Deus, attollimus, id potissimum precando, ne cum tibi innitamur, nos pude fieri sinas, ita ut aduersarij tui nominis, & hostes puræ atque synceræ doctrinæ, inde lætentur, & de sua impietate benè sibi placeant. Neque id oramus, quasi nostris meritis conueniat, agnoscimus enim quantum à lege & voluntate tua deuiauerimus, quod ut libenter et apertè fatemur, ita adnitimur abs te his quotidianis precibus veniam impetrare. Vias tuas itaque nobis posthac, quæ tua est misericordia et pietas, nobis efficaciter exponas, & consuefacias vijs ac institutis, ad quæ obseruanda nos astringere voluisti. Quemcumq; tu ipse docueris, impossibile est quin in tuo fœdere constanter maneat: fruetur eius animus citra controuersiam solidis bonis, & à reti quantumuis impedito explicabuntur pedes eius. Aspice nunc, ô Deus, quibus afflictionib. & molestijs prematur Ecclesia, cuius salus à te vno pendet. Redimas ergo illam Deus Israel, ne sub furenti odio

P R E C I S

*Antichristi & diaboli collabatur, per Iesum
Christum dominum nostrum, Amen.*

EX EODEM.

AD te quotidie, Omnipotens Deus, ac-
cedimus, votis ac precibus tuam im-
plorando misericordiam, ne in certamine,
quod inimus cōtinenter cum aduersarijs hu-
manæ salutis, nos pude fieri sinas. Peccata,
n. aculasq; nostræ infirmitatis ipse tua mise-
ricordia eluas: & licet favore tuo, nostro
vitio, simus omnino indigni, cupimus attā-
men, teq; etiam atq; etiam oramus, nos diri-
gas, doceas, regas, ac deniq; vias tuas com-
monstres, quas scimus incredibili benigni-
tate & veritate constantissima ornatas. Re-
spicias clementissime pater, periula & ca-
lamitates, quibus implicamur, ac tantum
non opprimimur. Eripe nos, adeoq; omnes
iniquitates nostras deleas. Quodq; tuum est
soliis, Ecclesiam redimas, non tantū ab ex-
ternis, quibus diuexatur, afflictionibus, ve-
rum ab ea potissimum labe, qua tuis detur-
patur cultus, neq; purus & castus, vti de-
buerat, exhibetur, Per Iesum Christum do-
minum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXVI.

SI vitam nostram instituissemus innocē-
 ter, Omnipotens Deus, non ita concute-
 remur terroribus hoc tempore, vt qui habe-
 remus pro comperto, non posse nutare qui
 tibi synceriter adherent: imò tuæ probatio-
 ni ac explorationi, totos nos libenti animo
 subijceremus. Sed quod tibi parum confidi-
 mus, vanis hominib. & carnis auxilijs nos
 commisimus, neq; recessimus à cœtu noxio-
 rum, atq; impuris actionibus, & manibus
 & moribus contaminatis Euangelium tuū
 sanctum fœdasuimus, ideo nunc versamur in
 magno periculo, ne instar flagitiosorum &
 sanguinariorum vita ac anima nostra di-
 spereat. Quamobrem te oramus, vt iam nos
 tui misereatur, & quod nomen tuum super
 nos est inuocatum, digneris ignoscere quæ
 hætenus tam impiè gessimus, & quod nos
 non meremur, impetret abs te causæ boni-
 tatis. Hic enim salus nostra non solum impe-
 titur, verum tua sincera doctrina & pu-
 rus cultus. Ne itaq; permittas Ecclesiam
 dolis & fraudibus Antichristi: redime illā
 ab exitio, quod ipsi diabolus & eius mēbra
 instruūt, vt posthac tibi sanctè & innocēter

P R E C E S

viuamus, acta & mirabilia tua in sacris
 exilibus, extollamus, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Tenet nos, Omnipotens Deus, vehe-
 mens desiderium, vt innocentes co-
 ram te etatem agamus, neque despectamus
 à recto, cum nos varijs tentationibus explo-
 raueris. Haftenus minimè id sumus assequu-
 ti, vt pote qui in te parum fidei, atque adeò
 solidæ spei collocauerimus. Te itaque no-
 strum misereatur, quodque peccatum est,
 velis ignoscere. Etenim si te fauentem at-
 que propitium habeamus, tuæ misericordiæ
 ac veritatis nūquam obliuiscemur. Tu lar-
 gire, Optime pater, vt inter innoxios inno-
 center viuamus, fraudesque & uanitatem
 summo odio detestemur, quo in tuas laudes,
 tuique nominis celebrationē incumbamus
 toto pectore, neque committas, vt cum faci-
 norosis & impijs extremum vite nostræ
 absoluamus, quin potius ad domum æternæ
 felicitatis, quam suspiramus quotidie, pa-
 tesiat beatus aditus, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXVII.

Quandoquidem, cœlestis pater, nostræ
 salutis, illuminationis, roboris, fir-
 mitatis columen & summam in
 te vnocollocauimus, nos oporteret in ipso
 studio pietatis bono animo & intrepida cō-
 stantia versari, quicquid præ se ferat molī-
 ri contra nos mundus, quicquid aduersi im-
 mineat à diabolo, & demum quicquid no-
 bis ab hominib. excitetur calamitatis, totū
 id te protegente, nosque in tuo tabernacu-
 lo occultante, deberemus fortiter contēne-
 re. Verum quod infirmiter credimus, ac se-
 pe nutat nostra in te fiducia, hinc fit, vt si-
 mus ad eō trepidi atque meticulosi. Tu id-
 circo nos, Deus, confirmes tua excellēti gra-
 tia, tuoque munifico spiritu, quo in sacro cœ-
 lu vbi verè est tua domus, ritè, piè casteq;
 versemur. Ne vultum tuum, quæsumus,
 auersum à nobis contineas, illum vnicè cu-
 pimus. Da vt viriliter sustineamus ac ro-
 boremur quo auxilium tuum infractis ani-
 mis expectemus, per Iesum Christum
 dominum nostrum,
 Amen.

P R E C E S

EX PSALMO XXVIII.

Situ dissimules, aut negligas, Omnipotens Deus, in his afflictionibus nobis auxiliari, nō solū vera de pietate actū est, sed mox in foueam deponendis atque humanis facile conferri possumus. Audias itaq; preces & clamores nostros quos vides nulli præterea inuiti fiducie quam vnici filij tui & seruatoris nostri Iesu Christi. Nam quod ad nos attinet, ita malè nos gessimus, prauè & iniquè viximus, vt quando nos respicimus nil nisi mortem & æternam damnationem videamus nos manere. Pro tua ergo mera bonitate, improbis, dolosis & sceleratis ne nos accenseas, vt meremur, sed hostibus & tuis & sanctæ Ecclesiæ reddas iuxta illorum opera, & quæ in nos fideles moluntur, in ipsos recidat. Quando enim verba & opera tua negligūt animaduertere, destruantur illorum crudelia & astuta consilia, quod tu ipse laudibus efferaris, quod tuorum voces & preces audiueris. Esto nobis, ò Deus, robur & clypeus, populum tuum serues in his periculis, quosq; tibi hæredes cooptasti, eas & salute & beneficijs cumules, pascas illos

illos dum hęc viuunt, demumq; ad eternam
vitam prouehas, Per Iesum Christum domi-
num nostrum, Amen.

EX EODEM.

TE fauentem atque propitium habere
optamus, Deus cęlestis pater, quo dñ
preces & vota nostra effundimus, ea, prout
bonus es, clemēter audias. Namq; si nos vo-
lueris accipere ex merito probitatis, patebi-
mus vbiq; infinitis iniurijs & calamitati-
bus. Etenim aduersarij hostesq; cum nostra
salutis, tum etiam tue dignitatis nihil non
moliuntur, quo seruos tuos & pietatem &
sincerum benē viuendi studium conuel-
lāt. Idcirco aduersus eos tu nobis esto robur
& clypeus. Si populus tuus ac hereditas
tua sumus, quemadmodum pollicitus es &
nos constanter credimus, serues, pascas, fa-
ueas, atq; ad extremum bonum quò tendi-
mus perpetuo prouehas, per Iesum Christum
dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXIX.

QVicumq;, Cęlestis pater, eò prouecti
sumus tua misericordia, vt filij Dei
& simus & nominemur, non leuā

P R E C E S

aut contemnendam habemus occasionem te celebrandi, ex effectis quæ in natura videmus à te prodire, quæ sic præcellentia sunt & admiranda, vt gloriæ ac dignitatis tuæ certissima intuentibus asserant indicia. Tælymbres, nubes, fulmina, terræ motus & aquarum inundationes tam potenter, cū visum fuerit, profers, vt non montes, non arbores quantumuis proceræ, non vllæ etiam sint animantes quæ non vehementer concitiantur: nos tantum, ô Deus, ad has tuas ingentes vires cæci, surdi ac stupidi sumus. Quare pro tua pietate, miseratus tantâ inscitiam, quæ non aliunde quàm à peccato proficiscitur, largire vt ab illis tandem exempti, & in admirandis tuis operibus te agnoscamus, & pro meritis canamus tibi æternam laudes, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXX.

Miris laudibus te celebrare ac euehere debemus, Omnipotens Deus, vt pote cūm sis tam facilis ad seruandum eos qui tuum nomen fideliter inuocant. Agnoscimus planè, & apertè fatemur innumera
bilis

bilia esse atque grauissima nostra peccata, ob quæ eterno exitio perpetuæq; morti esse mus addicendi: Sed precamur, vt erga nos ea misericordia vtaris, qua in tuos electos agere consueuisti, Soles etenim illos corripere breui & momentanea ira, quam statim mutas in diurnam & summam beneuolentiam. Serues itaque nos è presentibus malis, ac imminentibus periculis, quo saluè & expediti consiteamur tibi, & veritatis tuarum promissionum cum certi tum etiam experti testes, vbiq; annunciemus ac predicemus tibi vni fidendum esse, per Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Orat Ecclesia tua, omnipotens Deus, vt se depressam in his calamitatibus releues, neque sinas hostes tui nominis lætari suo exitio. Consueuisti ô Deus, ad te clamantes cum exaudire tum etiam presentis ope adiuuare, situmque est in manu tua reducere ab inferis, & eos qui penè iam in foueam demissi erant, viuificare. Quare ad excitandos in animis nostris tuarum laudum

P R E C E S

affectus, declares te quidem nobis fuisse iri-
 tum, sed ad momentum, neq; ob id abruptè
 esse illam tuam erga nos infinitam charita-
 tem, qua in te vivimus æternumque vive-
 mus. Cures precamur, vt nostri fletus ac g-
 mitus, breui habeant latitia atq; exultati-
 nis cõuersionem. Haud velis obseruare quæ
 nos mereamur, sed quæ te deceant. Nos qui-
 dem ob peccata nostra, capitali odio & ex-
 tremis pœnis digni sumus, qui dum omnia
 ex sententia & fœliciter succederent, vane
 confidebamus nos posse omnia viribus no-
 stris perferre. Nunc verò, cū paululū faci-
 tuā à nobis auertisti, et sese calamitates præ-
 sertes obtulerūt, adeò sumus cõsternati atq;
 perterriti, vt vix possimus cõsistere. Verū,
 Deus, vide quid misericordia & promissio-
 nes tuæ requirāt, nimirū vt ad te clamātes
 non sinas perire. Nobis quippe extinctū ad-
 uersarij minimè te predicabūt. Nostro itaq;
 luctui tādē sinē imposito, vt restituto nobis
 latitie spiritu, et nunc, & in alio seculo im-
 mortales tibi & laudes & gratias refera-
 mus, per Christum dominū nostrum, Amē.

EX. PSALMO XXXI.

Cum tu, Omnipotēs Deus, sis nobis r-
 pes atq; præsidū, nunc opus est pro-

pter nomē tuū, vt fidentes tibi perducas ad
 salutē, ita vt fidei, qua tibi innitimur nos
 minimē pudeat. Vides vt retia nobis abscō-
 derint & laqueos tetenderint quib. est odio
 sa doctrina tua & sanctū Euang. Qui itaque
 nulla alia vi seruari nos posse videmus, iā
 animas nostras manib. & potētiē tuā cōmē-
 damus defendēdas. Nihil enim fidimus cu-
 riosis & malis artib. tibi aut vni, o Deus, in-
 nitimur precamurq; vt afflictiones respici-
 as in quib. versamur, neq; nos includi patia-
 ris in manib. impiorū, Nostra quidē peccata
 vt scimus, in iudicio tuo nos maximē vrgēt
 à quibus ita grauamur, vt iure nō possimus
 euadere. Sed tu pro bonitate tua, precamur,
 nostrū miserearis, neq; permittas Ecclesiam
 tuā fabulæ aut opprobrio eē, & vicinis et ho-
 stib. Exhilarēs quæsumus vultū tuū super
 eā, impij pudefiant, tū ipsa cōpescas menda-
 ciū labia, quādo aduersus eā horrēda crimē-
 na superbissimē cōfingūt. Et licet quo ad car-
 nis iudiciū, putemus nos precipitatos atq;
 proiectos à cōspectu oculorū tuorū, spiritu ni-
 hilominus adhuc speramus te preces nostras
 auditorū. Fac ergo vt boni qui te diligūt, te
 custodire fideles tuos intelligāt, & roborare

P R E C E S

quotquot ex animo te colunt atque suspiciunt, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

EFFulgeat precamur, omnipotens Deus, erga nos fauor tui vultus, vnde omne solatium, letitia, & gaudium fidelibus deriuatur: dumque tuum sedulo imploramus auxilium, aduersariarum potestatum machinationes, doli, fraudes atque insidie dissoluantur. Est quidem magna, pulcherrima, ac iucundissima suauitas bonitatis tuae, quam illis qui tibi fidunt, se posuisti: ne igitur, quae admisimus peccata, nos ab ea excludant, quaesumus, tua gratia lustremur atque mundemur. Etenim hoc si fuerimus affecti, non dubitamus nos sub tabernaculo de munimento protectionis tuae, & abscondendos esse, & defendendos ab omnibus impendentibus malis, quo in tua dilectione viriliter atque constanter perseuerantes, ad te nostrae felicitatis columen, tandem transferamur, per Iesum Christum dominum nostrum,
Amen.

Fiducia omnipotēs Deus, quam in te pij collocant, id eximium & singulare habet ut neminē pudefaciat, neque iusto frustretur desyderio: ea itaque nos impellit ut imploremus tuum auxilium, quo te robur, tutelam, firmamentum, ducem, alumnum perpetuo habeamus. Alioquin peccatis nostris id commerentibus, undique laqueos, insidias & fraudes nobis instructas esse scimus, ab hostibus tui nominis simulque nostræ salutis. Spiritum itaque nostrum ac vitam, & fidei tuæ commendamus, atque in tuis manibus tuendam ponimus: quandoquidem vides innumerabiles nostras infirmitates, utque simus aduersarijs potestatibus perpetuo circumfessi: miseratus ergo nostram sortem, præsens adsis, utque in manibus habes & vitam & mortem, nobis, qui tui sumus, tecum æternum viuere cõcedas, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X P S A L M O X X X I I.

Admonemur abs te, Deus Opt. Max. in celo sitam esse tuorum fælicitatem, ut

P R E C E S

illorum peccata condonentur, tegantur, &
 in tuo iudicio ipsis non imputentur: quod ni
 assequamur, si vnquam opus fuit, nunc vi
 demur nobis eo maximè indigere, quando
 presentibus calamitatibus ponuntur nobis
 ob oculos peccata nostra. Sentimus enim in
 grauescere manum tuam super Ecclesiam,
 quamobrem cogitauimus non celare, sed a
 pertè fateri coram te peccata nostra: neque
 diffidimus, qua præditus es bonitate, protin
 nus condonanda & remittenda nobis debi
 ta. Te itaque rogamus qui tui sumus, hoc
 tempore, quo te non dubitamus inuenien
 dum esse, ne ab impijs, qui sunt instar inun
 dantium aquarum, sinas populum tuum op
 primi. Esto nobis latibulum atque suffugi
 um in his afflictionibus. Tu nos erudias et
 doceas vias salutis, & quicquid in nobis
 adhuc superest brutæ ac ferinæ cupiditatis
 tu lupato ac freno tui spiritus ita compe
 scas, vt nõ ob id precipitemur in æternum
 exitium: Ac tandem in aduersarios tuæ glo
 riæ, dolores & calamitates effundantur.
 Qui verò tibi fidunt, vallentur, & muniat
 tur singulari tua beneficentia, vt qui sunt
 studiosi tui nominis, & recti corde, in te
 gaudeant

gaudeant, & perfecta letitia exultent, per
Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

BEati proculdubio illi sunt, Deus Opt-
Max. quibus pro tua misericordia di-
gnatus es peccata remittere, non ascribe-
re, imò tegere & condonare quidquid ini-
qui & pravi eos hæctenus commaculavit.
Cognoscimus apertissimè, nobis tantum be-
neficium hæud posse contingere, nisi verè
perspecta habeamus nostra mala, tibiq; pro-
damus, atque in sinum effundamus quæ in
legem tuam peccata & prauè & turpiter
admisimus. Confitemur itaq; tibi, pater cœ-
lestis, nostram iniustitiam summam esse,
& impietatis pondere animos nostros mi-
serrimè grauari: Quamobrem tua miseri-
cordia iam subuenias, quicquid superest sce-
lerum, precamur vt piè & clementer dele-
as: eripe ab impendentibus calamitatibus,
nosq; instruas mente sana, tuq; sollicita cu-
ra gubernes, ne in bruta stultissima nostris
malis affectibus degeneremus, verum tua
bonitate circumfusi, corã te iusta letitia et

P R E C E S.

solido gaudio exhilaremur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXXIII.

Quicumque fide iustitiam sunt affecti, Omnipotens Deus, probe intelligent quanta sis laude & praedicatione dignus, ob admiranda opera tua. Nihil est in orbe quod te bonum esse non attestetur. Consistunt caeli verbo tuo omnibus suis ornamentis instructi, neq; alia potentia, quam spiritu & vi tua continentur & quae maris & abyssi in suis locis. Nostrum igitur est, & fuit, pro ut mereris te vnum & colere & timere: sed nihil minus, probe dolor, in omni vita praestitimus. Et idcirco sumus bene commeriti molestias, & pericula in quae incidimus. Sed cum malis hominum quamuis innumeris, tua infinita bonitas non possit exhauriri, veniam petimus omnium illorum quae in te commisimus, atque oramus, ut quae est tua misericordia, confilia & cogitationes irritas efficias, quibus pietatis hostes adituntur Ecclesiam evertere. Erga illam gentem, quae te pro Deo suo habet ac sua legitima hereditate, tua, o De-

us, perstent cogitata, atque tua consilia manent immota. Tu de cælo intueris hominum corda, qui ea finxisti ab initio, optimè nosti quæ in tuos iam sint fabricata ab Antichristis. Quare nos, quæsumus, hoc tempore seruare digneris: non rex, non equus, non humanum robur à nobis requiritur, quæ ad seruandum sunt inefficacia. Sed ad te vnum recurrimus qui liberas animas nostras: sit, quæsumus, tua misericordia nobis præstò, quemadmodum fore proculdubio credimus & speramus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Meretur nomen tuum, Omnipotēs Deus, pluribus de causis vt summis proueharur laudibus, ac summa omnium virium piorum hominum contentione celebratur: quandoquidem cuncti sermones tui, omnia iussa & facta, nil sunt nisi fides, probitas, æquum & bonum. Quicquid in rerum vniuersitate est pulchri & ornamenti, quicquid utilitatis & commodi, totum id à te vno productum est. Tu solus pernicioſa impii-
piorum consilia dissoluis, eorumque malos

P R E C E S

conatus omnino irritos facis. Tua verò decreta firmissima sunt, ac inuiolabili constantia certissima. Quamobrem felices atq; beati sunt hi populi, qui Deum te sibi delegerunt, atque te vt suam eximiam hereditatem, castissimè & vnicè colunt. Talis idcirco ac tantus, quiq; nostrum es factor atque formator, non ignoras quàm sepe & immaniter in legem tuam peccauerimus, ignoscas quæsumus, neque in vlla creata potentia sinas nos considerare: sed tribue vt experiri admirabilem tuam misericordiam, ea solidè gaudeamus et iustè letemur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXXIIII.

EXigunt, Omnipotens Deus, tua singulæria & eximia in nos merita, vt quæcunque vtamur fortuna, vel prospera vel aduersa, nomen tuum laudibus celebremus. Etenim semper ades bona fide te implorantibus, & ab ærumnis atque prementibus calamitatibus miseros eripis, & ad tuam tutelam confugientes, munis ac sepius angelorum presidio. Nos itaq; grauissimorū scelerum sarcina oppressi, abducimur, ni tu succurras

curras, ad extremum exitium. Quamobrem
 oramus & obsecramus, vt iacentes releues,
 nosque in gratiam receptos, timorem, cul-
 tum, & pietatem synceram edoceas, quo pu-
 rum cum primis animum habeamus: com-
 pescatur lingua ne te aut nostra sanctitate
 indigna effutiat, actionibus verò deslecta-
 mus à vitijs, recta quæ præcipis exequa-
 mur, ac tuæ pacis efficiamur quàm studio-
 sissimi: vtque nostrum animas voluisti re-
 demptas prætio non vulgari, ita illis digne
 ris tribuere liberaliter atque munificè eter-
 nam salutem, per Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

EX PSALMO XXXV.

Cum tibi, Deus Opt. Max. sit robur in-
 uictum, & propensissima voluntas
 ad opem ferendam tuis, quãdo ab illis bona
 fide inuocaris: nunc oramus ac omnib. votis
 expetimus, vt nobis auxilio esse digneris,
 quãdo perpetuò dũ hęc viuimus tantopere
 oppugnamur ab aduersarijs potestatib. Inci-
 tatur quippe Sathã immani odio vt salutẽ
 nobis interuertat. Quamobrem ne respicias
 q̃ in te nephariè admisimus: sed pro tua mi-
 sericordia cõdonatis grauissimis culpis, qui

P R E C E S

bis nos miserè sentimus oneratos, potentia tua & sanctorum angelorū vi, à nobis diaboli & omnium membrorum eius insultus propelle, quo & illis non succedant eorum conatus, & nostri animi ob tuum fauorem & presens auxilium, suauiter exultent, nullumque pradicent inueniri posse alium Deum, qui perinde ac tu eripiat suos ab omni calamitate. Insultant illi atque illudunt nostræ infirmitati, verum tu optime pater, qui nostra intueris pericula, nos quæsumus tibi vendices, & ab æterna damnatione digneris asserere, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Multum diuque cupimus, Deus Opt. Max. te celebrare in quàm frequentissimo cætu piorum hominum, quod sanctum prompto atq; hilari animo faciemus, eum nos à Diabolo & ministris furoris eius tua potentia eripueris. Haud te latet vt dolose, fraudulenter, ac pessimè diuexet fideles. Quapropter oramus qua pietate possumus, vt nobis imprimis digneris ignoscere quicquid aduersum legem tuam indignè admisimus.

missimus, deinde exciteris ad nostram tuendam ac defendendam causam, ne tuis insultent aduersarij, cum pro sua libidine illos calamitosos effecerint: sed ipsos potius confusio & pudor peruadant, quando tue glorie ac nostre salutis sese opponere audent, contraq; nos, qui tue iustitie atque honoris cupidi sumus, gaudio letitiaque perfundamur, tuasque laudes, dignitatem, alacri animo predicemus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XXXVI.

Tantam intelligimus, Omnipotens Deus, vim esse prauitatis, ut qui ea laborat, non tangatur, neque moueatur timore vel reuerentia tui numinis. Etenim de suis flagitijs ita sibi placet, ut demum reddantur omnibus iuxta nota ac odiosa. Quicquid loquitur prauum est, neque potest adduci, ut se patiat in institui ad bene agendum: quin etiam noctu in animo voluit scelera, seque in peccatis ita obsirmit, ut nihil mali repudiet, quod eius animo se obtulerit. Pro tua igitur misericordia, o Deus, & singulari fide, iustitia & iudicio integerrimo, que ca-

P R E C E S

*lum & æthera implent, vincunt amplissimi montes, & ingentem abyssum excel-
lunt, neq; solum hominibus, verum & vni-
uersis animantibus vitam & salutem asse-
runt, rogamus vt abolitis atq; remissis pec-
catis, quibus te miseri offendimus, ne sinas
animos nostros prauitate maculari. Imò lar-
gire potius, vt alarum tuarum fide atq; tu-
rela freti, à regia cœli opulentissimo spiri-
tu ac æternis eius delicijs perfundamur: &
de fonte vitæ, qui tecum est, largiter pota-
ti, beneficio tuæ lucis, lumen æternæ fœlici-
tatis contemplemur: quiq; nostræ saluti ad-
uersantur, inde non valeant nos depellere,
quin potius ni desistant cepto, sic corruât,
vt consurgere non valeant, per Christum
dominum nostrum, Amen.*

EX PSALMO XXXVII.

CVM Ecclesia tua, Omnipotens Deus,
plerosq; habeat infirmos, qui fortè
possent grauitè offendi, videndo tam pro-
speros nocentium & impiorum successus:
tuo itaq; spiritu illos confirmes, vt probè in-
telligant istam fœlicitatem, qua modo ho-
stes Euangelij tui fruuntur, non esse stabi-
lem aut solidam, imò exiccandam & arefa-
ciendam

ciendam multo citissimè, instar herbe flac-
 cidae & vilissimi graminis. Nosque ita per-
 fundere digneris tua gratia, vt vni tibi ins-
 nitamur, studeamusque perpetuo beneficen-
 tiæ et charitati, quibus plenè sit persuasum
 omnem voluptatem & oblectationem ex
 te, velut ex vnico & inexhausto fonte ca-
 piendam esse. Da præterea, vt equo & pa-
 tièti animo sinamus te in nostris rebus age-
 re, prout bonitati tuæ visum fuerit, teq; for-
 titer expectemus, quando contigerit vt sa-
 lutem nostram differas, ita vt furibundè ad-
 uersus præsentia non succenseamus, qui in-
 tellexerimus grauissimis peccatis nostris lō-
 gè grauiora deberi supplicia. Adeò enim, ò
 Deus, in te peccauimus, vt nostris malis me-
 ritis impar sit omnis pœna. Quibus attamè
 non obstantibus, tu qui es clementissimus,
 digneris nostros gressus dirigere, & sic fa-
 uere tibi fidentibus, vt omnes intelligant,
 nos haud omnino prostratos quãuis recideri-
 mus, eò quod manu tua placidè & molliter
 suffulciamur, teque omnes fateantur mi-
 nimè deserere iustos tuos, vnde quàm pluri-
 mi se fidei tuæ cõmittere audeāt, vt se adiu-
 ues, & ab impiorū manib. præsentis auxilio

P R E C E S

eripias, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

NE permoueant nos, Deus Opt. Max. secundæ res impiorum vt à colenda religione quàm castissima desectamus animum, quandoquidē nobis declaras tam esse breuia & fugacia illorum bona, quàm vigor graminis & flores in pratis. Exoneret cum primis te precamur conscientias nostras peccatorum sarcina, qua nisi releuemur tuo fauore, in exitium facile prosternemur. Sed cum sis nostra fiducia, vnde totipendemus, nosque tuæ prorsus commendauerimus fidei, nō dubitamus nobis dandum quod postulamus: id verò est, vt omnem nostram voluptatem atque iucunditatem in te vno collocemus, abiecta spretaque huius mundi prosperitate. Nam vt qui innituntur ei euertuntur in momento: ita qui sunt quieti, lenes & a quo animo placidè ac tranquille fruuntur æterna hereditate. Non est timendum quicquid fremat, intentet & molliatur in sanctos impius, nam prauitatis eius conatus in ipsum recident. Tu verò, ò
Deus,

Deus, ipse agnoscas & probes cum instituta
 tum actiones nostras, quo nos eterna mane-
 at hereditas, qui nomen tuū laudibus quo-
 tidie celebramus, per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM receperis, omnipotens Deus, te
 ducem & comitem pijs fore, ne à
 iustitiæ calle aberrant, illorumque fulcrum
 si forte fortuna ceciderint: atque adeò tam
 firma fuerunt hæc tua promissa,
 ut iustus nunquam repertus sit qui tuo fa-
 uore destitutus, necessaria ad victum nõ ha-
 buerit. Freti idcirco fide tua oramus, ne pro-
 ut merentur peccata quæ in te admisimus
 nos punias, sed illa pro tua misericordia con-
 fugientibus ad te condones: dignerisque ti-
 bi fidentibus elargiri, ut in suis animis vo-
 luntatem ac leges tuas impressas habeant,
 quò de ipsis perpetuò meditentur ac loquan-
 tur, neque sint in illis exequendis varij &
 inconstantes. Impiorum, qui aduersus tuos
 implacabiles gerunt inimicitias, illustris ac
 splendida fortuna haud nos à recto dimoue-
 at, sed ita spiritu illustres animos, ut sentia

P R E C E S

mus eos celeriter extinguendos, & in maxima ac perpetua supplicia concessuros. Nobis verò, pro vt confisi sumus tuis promissis, robur & salus abs te detur, eripiamurq; ab imminentibus calamitatibus, & nostræ salutis hostibus: per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X P S A L M O
XXXVIII.

INstar filiorum arguas & castiges nos, Deus Opt. Max. iram verò & indignationem tuam remoueas à presentibus angustijs. Sentimus quidem manum tuam, & pericula in quibus versamur, intelligimus non admittere humana remedia: Quod nobis haud immerito contingit. Siquidem peccata & iniquitates vndique nos cooperuerunt, quibus ultra quam ferre possimus & oneramur & premimur. Hinc fit vt incedamus mesti, & præ cordis anxietate penè dissoluamur. Videmus proximos & amicos longè fieri, & aduersarios tendere laqueos, ac omnia moliri vt denique euertamur. Tu igitur, ô Deus, qua es præditus misericordia,

nos

nos imprimis tibi reconcilies, condonando que factissimè contra te admisimus, deinde ad nostrum auxilium propera. Te unicum nostrum refugium expectamus, qui te inuocantibus consueuisti preesto esse, & illorum votis respondere. Non ignoras quomodo in nos Antichristi, dum ita concutimur & nutamus, insultent: in dies fiunt robustiores, & augentur qui nos iniuste odio habent. Quare te obsecramus, optime pater, ne deseras nos in tantis afflictionibus, cum sis ipse nostra salus, festines quæsumus, ut Ecclesie opem feras, atq; extremè periclitanti subuenias, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Quandoquidem experimur, Deus Opti. Max. tantam esse sarcinam, tantumque onus scelerum quæ in te admisimus, ut iam ferèdo non simus pares, ideo accedimus tuam fidem imploratum, ne illorum causa per iram vel furorè nos corripias. Paterna sit, ut erga tuos consueuisti, admonitio: vide ut malorum conscientia

P R E C E S .

habeamus penè conturbatum animum, omnia sunt in nobis putrida atque corrupta: tristes, afflicti, & lumine quodammodo orbati, nisi subuenias degimus. Neq; est quod amicis aut propinquis confidamus: nã peccata nostra, omnia reddunt nobis aduersi, et inimica. Quando itaq; ô Deus, nostras iniquitates in sinum tuum effundimus, adeoq; solliciti sumus pro venia impetrãda, tu fauore & misericordia tibi insita ne destituas, imò vt exorabilis es & placidus, celere & firmum suppeditare digneris in nostris malis auxilium, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X P S A L M O X X X I X .

Quando hoc difficillimo tempore, Omnipotens Deus, ita vexamur presentibus calamitatibus, ac tãta mole afflictionũ premimur, ad te confugimus, quo tuo spiritu nobis ita os et linguam compefcas, ne quid indignum maiestate tua vel nostra professione nobis excidat: Cum enim iustè non possimus conqueri, has angustias vincere nostra peccata, aut nos immeritos puniri, fac vt reprimamus voces de te querentes

ritantes: exagitentur potius viscera nostra
 iusto dolore de admissis peccatis, incallescāt
 intima, & cor succendatur solida pœniten-
 tia. Da, clementissime pater, vt probè in-
 telligamus situm vitæ nostræ immature
 singulis horis, quandoquidem mera vani-
 tas est, quicquid hic viuimus, multumque
 abest, vt nobis quippiam nostri solliciti stre-
 pitus, aut congestæ opes prodesse valeant.
 Te ergo vnum oportet Domine vt expecte-
 mus, quos si imprimis à peccatis & iniqui-
 tatibus releuaris, confidimus minimè futu-
 ros impijs opprobrium. Nam à lustratis &
 repurgatis à sceleribus, consueuisti remoue-
 re plagas tuas: ne consumantur exagitatio-
 ne tuæ potētissimæ & inuictæ manus. Quæ
 si pergat vexationibus homines exercere,
 vt merentur, non minus illos conficit & at-
 terit, quàm tinea arrodāt pannos. Audias
 itaque ô Deus, preces nostras, & cum cer-
 nas in terris nos haud obtinere solidam re-
 quietem, concedas vt saltem apud te fide vi-
 uamus, & tutò versemur, Per Iesum
 Christum dominū nostrum,
 Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

DUM experimur, omnipotens Deus, aliqua tuæ seueritatis iudicia, tametsi à spiritu suademur ne tuæ bonitati aut iustitiæ obloquamur, attamen doloris magnitudine, & peccatorum conscientia eò ferè adducimur, vt vitæ nos tædeat: quam obrem cum tibi confiteamur nos peccasse, multisq; modis coram te iniquè egisse, pro tua pietate atque misericordia efficere nobis propitius. Vides vt breuis inanisq; nostra sit ætas, instar vmbrae, in qua nihil firmi, solidi & veri locum habeat: momento præterimus, & quicquid temporis hic datum est ad vitam, id nostro vitio totum concitatis, turbulentis & perniciosis affectibus viuimus. Precamur ideo, vt demum te nostrum misereat: pertingant ad aures tuas vota, & gemitus quos à cordibus ipse spiritus tuus in nobis exprimit, dumque in hoc mundo vt peregrini vagamur, tuo fauore digneris animos nostros subinde recreare, per Iesum Christum dominum nostrum,
Amen.

EX PSALMO XL.

Qui adeò spe suffulciuntur, Omnipotens Deus, ut presentibus & urgentibus malis te expectent, atque ad te suspiciant minimè despondendo animum, tu demum illorum votis, ut es benignus & clemens, condescendis, eorum audis clamores de profundis aquis, atque in cæno & lutu iacentes infixosque, potentissimo auxilio tuo erigis. Quis fit ut liberati tuas laudes perpetuo in ore habeant, quas novis carminibus publicè & priuatim celebrent, ad fidem, spem, ac timorem tui omnibus excitandum. Dones itaque & nos in presentia tanta felicitate, ut in te vno collocemus præsidium nostrum, neque superbos aut mendaces, qui aduersus Ecclesiam tuam consurrexerunt, quicquam moremur, probè scientes te omnium mirabilium authorem, qui habeas in thesauris tue providentiæ ea consilia & instituta, quæ ordine referri aut enarrari possint à nemine, cum numero & magnitudine vincant omnem verborum vim & orationis efficaciam. Cum ergo te hæcenus peccatis nostris grauer offendat

P R E C E S

derimus, neque vlllo nostro sacrificio lustrari possimus, concedas obedientem fidem, vt tuæ voluntati vbique præsto simus, quam nobis in libro legis dignatus es reuelare: eâ largire vt libères ac vltronei exequamur, impressam in intimis visceribus nostris. Vt que tu à misericordia & bonitate nunquã te cõtines erga nos: ita vicissim fideles tui, & verbis & moribus testentur fidem, iustitiam, & veritatem tuam. Vides vt deprimamur peccatis, vt adobruamur aduersis, & corde atque animo destituamur. Quare cordi tibi sit nostra salus: propera vt adiuues. Quin potius hostes tui nominis pudefcias & confundas: nos vero, qui te quærimus, tandem recreemur, experiamurque it haud frustra ipsissimam salutem, & auxilium afflictorum & inopum prædicari, per dominum nostrum Iesum Christum, Amen.

EX E O D E M.

Qui tolerant, Omnipotēs Deus, equo & patienti animo tui auxilij dilationem, tandē sentiunt suas preces abs te audiri: dumq; experiuntur se bona fide liberatos, non solum ipsi nomen tuū debent

debitis laudibus celebrant, sed reliquis pijs
 materiam idem faciendi affatim suppeditant.
 Nunc itaq; quod superest, cum exter-
 nis sacrificijs non capiaris, id nostris preci-
 bus contendimus impetrare, vt quàm amã-
 tissimi et cupidissimi reddamur, indies ma-
 gis ac magis tuæ voluntatis exequendæ, tu-
 amque veritatem atque misericordiam er-
 ga nos, crebris imò perpetuis efferamus præ-
 conijs. Interim verò quicquid turpiter ac
 flagitiosè admisimus, vt misericors es & bo-
 nus, nobis condones, neq; illis pœnis aut ca-
 lumitatib. nos obrui permittas, quas nostra
 peccata sunt commerita. Qui tuam ignomi-
 niam nostrumque exitium querunt, ipsi præ-
 desiant: studiosi verò tui nominis vera ac
 solida perfundantur letitia. Cumque nos de-
 spectos & carnis auxilijs destitutos non
 ignores, ipse defensor & propugnator ad no-
 strum præsidium festines, Per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen

E X P S A L M O X L I.

NON est sanè contemnendæ pietatis,
 Omnipotens Deus, cum de egrotan-
 tibus tum etiam de pijs omnibus, quos in-

P R E C E S

terdum corripis aduersis casibus, probè iudicare, quasi nimirum qui paterno castigaueris animo sis illos facillè erepturus, viuificaturus, atque demum tua presentia beaturus. Quaspe & nos ipsi freti, qui nunc grauissimè affligimur, hìc vnà precamur vt nostrū miserearis, à peccatis, quibus te grauissimè offendimus, nos releuando. Intelligis profecto, vt inimici sancti Euangelij nobis mala cupiant: nosti quæ sibi fingant & proposuerint de nostro exitio. Nihil plant non moliantur vt euertant Ecclesiã tuam. Quibus & illi se adiungunt quos coniunctos nobis cum religione, tum multis alijs nominibus & officijs, putaueramus. Quamobrem tu, ô Deus, erga nos tangaris misericordia, qua consueuisti non solum erigere iacentes, sed etiam illorum hostes conficere. Ne hoc inimicis religionis & pietatis tribuas, vt seruatorum tuorum interitu gaudeant. Si autem nos presentibus calamitatibus subduxeris, cõfirmarisq; tuo spiritu, laudabitur publicè ab omnibus pijs nomẽ tuū, quod rogamus vt perpetuo & absq; vlla intermissione fiat, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Ingentia Deus Opt. Max. eos manent præmia, quos miseret afflictorū : nam qui miseris & calamitosis hominibus misericordiam impertiant, eximiam bonitatem tuā imitantur. Etenim cōsueuisti vel ad lectum ægrotanti seruo tuo adesse, ita vt videaris ipse versare stratū eius, quo mollius, à morbo vexatus, cubare possit, neq; nobis est ad eò singulare officium quo indulgentissimè non inseruias tuis, quando indicaueris optulandi adesse opportunitatem. Quamobrem cum probè intelligamus, ob nostra peccata in mala periculosa & difficillima nos incidisse, ad te vnum supplices confugimus vt nobis digneris, quæ transgressi sumus remittere, neq; patiaris hostes nostræ salutis lætitiā capere quòd perierimus : quandoquidem hoc vno declarabitur nos tibi esse quæc harissimos, vbi adiuueris in tanto rerum discrimine. Subuenias quæsumus, atq; indica nos tibi cordi esse, quo laudes tui nominis, quemadmodum par est celebremus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

P R E C E S

EX PSALMO XLII.

Nullus est, Omnipotens Deus, cui bene
 perspecta sit bonitas tua, quin ut cer-
 tus vehementer sitiens ad te diu noctuque
 anhelet & suspiret: qui enim fieri potest, ut
 quispiam vera fide præditus ad Deum vi-
 num non contendat? Atque in nobis hacten-
 us id studium fuit admodum remissum, neq;
 Deum, ut par erat, in sacris cœtibus bona fi-
 de requisivimus. Ideo præ mœrore & angu-
 stia, sunt nobis pro cibo & potu lachrymæ
 his difficillimis temporibus, passimque in-
 sultant Ecclesiæ aduersarij, & dicunt, Vbi
 est Deus eorum? Sed tu, ô Deus, ut miseri-
 cors & clementissimus, deponas quæsumus
 iram tuam, quam iustè aduersum nos conce-
 pisti, & tuarum promissionum memor, con-
 cede, licet immerentibus, ut robustissima
 spe & fide confirmemur, quo non infra iu-
 stum dericiatur anima nostra. Et licet om-
 nes fluctus, procellæ, & abyssi tentationum
 videntur in Ecclesiam tuam effundi, boni-
 tate misericordiæ & gratiæ tuæ modereris,
 ut à nobis animi & conscientie solida gau-
 dia non auferantur. Fac ut incitati sancto
 Spiritu

Spiritu, nos ipsas perpetuo adhortemur ad
 sperandum & confidendum tuis auxilijs,
 quod adhuc nomen tuum simus celebraturi,
 & gratias acturi, pro restituta salute atque
 tranquillitate, per Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

EX E O D E M.

Toto pectore, Deus Opt. Max. cupimus
 nos tibi adiungere, hoc ipsum diu no-
 stuque esurimus & sitimus, quando quidem
 non possumus absque magno dolore, cum vi-
 deris nos destituisse, & animi nostri, & ad-
 uersariorum audire insultationes, quibus pie-
 tati & fidei concepta illudunt, nimirum ex-
 probrando ærumnas, miserias & calamita-
 tes quibus penè oppressi videmur iacere, no-
 stris nimium ingrauescētibus peccatis. Illa
 pro tua misericordia nobis, quaesumus, igno-
 scas, ô Deus, quo nos ipsos valeamus confir-
 mare, nostrisque animis imprimas ut sint
 constantes: dumque nos perturbāt mali affe-
 ctus ac graues pœnarum timores, roborati
 tua promissione consolemur afflictos ani-
 mos in nobis ipsis, persuadentes, ut vni tibi
 fidant, sperando se tuum nomen alacriter.

P R E C E S

celebraturos esse, quod illis cum vera salutem
 tum verus Deus extiteris, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XLIII.

TV A, Deus Opt. Max. autoritate atq;
 potentia suscipias tandem iudicium
 cause nostræ, quæ cum tibi verum cultum
 & repurgatam religionem asserere contem-
 dat, & ideo bona sit, ab omnibus nihilomi-
 nus deseritur & improbat: Quare sum-
 mopere indigemus, vt ipse nos à dolosis &
 prauis hominibus eripias. Tu solus Ecclē-
 sia super es consolatio, robur & firmamen-
 tum. Nomine, professione, & doctrinā
 tua viximus alioquin indignè, verum est
 est tua misericordia, vt pœnitentium & ad
 te redeuntium iniquitates omnes contegat,
 peccata remittat, & quæ turpiter admissa
 sunt credentibus non imputet. Precamur
 itaq; vt nostrum misertus, ita lucis & veri-
 tatis tuæ efficias participes, quo & hîc in
 sacris cœtibus te purè colamus, & demum
 ad sacra æternæ vitæ habitacula deduca-
 mur. Est quidem nunc tristis & deiecta ani-
 ma nostra, turbamur subinde cogitatio-
 nibus

nibus timidis, & viscera præ terroribus intra nos tumultuantur. Verum te precamur, optime pater, vt nos confirmes ad benè sperandum, quod simus te etiam posthac celebraturi, & ob salutem impetratam exhilarandi, cum te nostrum Deum, vt reuera es, declaraueris, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

IN summo discrimine ac tantis periculis huius vitæ, tibi omnipotens Deus, nostram causam tuendam ac defendendam committimus. Nam licet in nobis ipsis, dum hanc miserimam vitam colimus, nil sit roboris aut firmitatis, cui valeamus inniti, cum vitio natiuo, ac infinitis ad illud peccatis adiectis infelicitè premamur: attamen obsecramus vt splendor tui fauoris nos irradiet, quo tenebræ nostræ mentis illuminentur. Nam si ex tua misericordia nobis id contigerit, & summa letitia & incredibili gaudio perfundemur: ac nostrum animum alioquin consternatum, bona spe esse iubebimus: id vnū quaesumus digneris elargiri vt oëm spem nostram in te vno collocemus, quandoquidem

P R E C E S

tu solus & nostra salus & verus Deus es
 istis, per Iesum Christum dominum nostrum,
 Amen.

EX PSALMO XLIIII

Summa bonitate, Omnipotens Deus, Ec-
 clesiam tibi ex multis gentibus collegi-
 sti, manu tua plantatam non humanis viri-
 bus: tuo favore & Spiritu à peccatis est re-
 purgata: euasit hæcenus diaboli crudeles in-
 sultus, abs te adiuta & fortiter defensa: tu
 eam seruasti semper ab aduersarijs, ac eos pu-
 dore & ignominia affecisti qui eam odio pro-
 sequebantur. Debuissimus propterea in te
 solo gloriari, & tui vnus nomen celebra-
 re: sed proh ò dolor, omnibus istis beneficijs
 ingratißimi fuimus, carni & humanis vi-
 ribus fidimus, & nostra vita iniusta ac pra-
 uis moribus tuam doctrinam, quam profite-
 mur, probro affecimus. Idcirco nos in præ-
 sentia depellis & ignominia comples: iam
 penè Antichristi efficimur præda, & vici-
 nis probro sumus. Fabula gentibus, risus po-
 puli, vulgi ludibrium iamiam, ò Deus, est
 tuum Euangeliũ: hæc omnia (fatemur) no-
 bis propter peccata & merito contigerunt.
 Sed

Sed tu optime pater, qua es benignitate præditus nos tibi denuò recõcilies, & quicquid malè & stultè admisimus velis condonare, & da, vt nequaquam tui obliuiscamur, neque in tuo fœdere perfidi efficiamur. Licet prorsus atteramur, & vmbra mortis nos vndique obtegit, non desleat neque declinet, vnquam animus noster à semitis tuis. Non id committamus, vt, etiam si instar ouium deputemur cadibus, obliuiscamur tui nominis & ad cultus detestabiles conuertamur. Euigiles, quæsumus, ô Deus, neq; amplius obdormias. Ne abscondatur facies tua in nostris afflictionibus: consurge & deiectos adiuues, quos tibi delegisse pro tua clemencia non dubitamus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Magnifica nobis referuntur, Deus Opt. Max. in sacris historijs de tua misericordia & victrici potentia, quam ad fideles tuendos, conseruandos, & augendos antiquitus declarasti: quibus auditis persuademur in te vno & non in viribus, opibus & potentia nostra spem ponere. Verum nunc

P R E C E S

Oppressi pondere peccatorum grauiſſimo, cū
 iræ tuæ ſentiamus commeritam vltionem,
 timeamusque vt malè conſcij, ſeucriores pœ
 nas & acerba ſupplicia: oramus vt qua es
 præditus bonitate, cōdones ac remittas quic
 quid in te peccauimus: deinde ſi calamita
 tibus & erumnis deſtinaueris exercendos,
 elargire vt non propterea violemus, quæ à
 nobis tibi debetur, pietatē atq; religionem:
 ne committas vt ad alia quàm ad tua conſu
 giamus conſilia. Exciteris itaq; et ad nobis
 opitulādum properes: dñ ſubuenire differs,
 tuū fauorē videris à nobis auertiffe. Ideoq;
 vt illuſtretur miſericordia & bonitas quæ
 præditus es, digneris ab his quæ nos circum
 uallāt periculis redimere, per Ieſum Chri
 ſtum dominum noſtrum, Amen.

EX PSALMO XLV.

Chriftum habemus, Deus Opt. Max.
 vnicum & omni bonorum genere cū
 mulatiſſimum regem, cuius vt eſt potentia
 ſumma, ita ſolium imperij eſt in æternum
 confirmatum: potentia præualet inuicta, or
 natur ſumma iuſtitia, valet apud te im
 menſa

mensa gratia, & infinita sapientia est cōspi-
cuis. Illi Ecclesia vt augustissima regina est
desponsata, vt semen ei numerosissimum
procreet atq; sanctissimum. Nos igitur qui
tantum regem omni studio obseruasse de-
bueraimus, nomen eius, & sanctum ipsius re-
gnum turpissimè fœdauimus nostris vitijs,
que nunc fatemur & agnoscimus coràm te
optime pater, & vt nobis ignoscatur sup-
pliciter poscimus, quo in gratiam abs te re-
cepti, denuo sentiamus beneficia regis no-
stri: & quamuis non id mereamur, attamen
oramus vt in hac nostra oppressione consur-
gat, accingatur gladio suo, & Ecclesiam si-
bi desponsam asserat ab iniurijs & contu-
melijs Antichristi. Exerat iam sua pera-
cuta iacula verbi & spiritus, atque vta-
tur virga iudicij & equitatis, qua regnum
suum administrare consuevit. Nunc osten-
dat se veritatem diligere, & pessimè o-
disse iniquitatem: per eundem met
Iesum Christum dominum
nostrum, A-
men.

P R E C E S

EX E O D E M.

V Nigenitus tuus, Dominus noster Iesus Christus, Deus Opt. Max. verè dignus est vt modis omnibus commendetur, forma virtutum, & specie sanctitatis elegantem atque formosum in mundo se præ omnibus exhibuit: vsus est docendo ac exhortando oratione suauissima, gladio sermone, & virium efficacia omnia in suam potestatem ac ditionem redegit: iustitiæ prorsus amantissimum, iniquitatis verò acerrimum hostem se perpetuo declarauit. Sed nos miseri, cum ei tali ac tanto destinati essemus vt casta sponsa in matrimonium, varijs ac multiplicibus vitiorum maculis nos contaminauimus. Precamur itaque vt pœnitentiæ ac tuo spiritu repurgemur, quo malarum affectionum, quæ nobis innatæ sunt oblici, ad amorem huius lectissimi sponsi prorsus aspiremus, & opera nostra collata loco patrum qui iam ad illum collecti sunt, ei complures fideles regenerentur, cum quibus decus & laudes ipsius æternum celebremus, per eundem met Iesum Christum dominum nostrum Amen.

EX PSALMO XLVI.

Quicumq; Deus Opt. Max. te vnū pro
 tectionem ac robur suum verè cre-
 dunt, eis in afflictione semper
 fuit præstò auxilium tuum: quare fidelibus
 eximitur prorsus terror, etiam si vniuersa
 terra concutiatur, nutent montes, vnda ac
 fluctus maris tam impetuose pulsant litto-
 ra, vt videãtur cuncta in aquas iam iam re-
 solui ac disfluere. Et summa vicissim do-
 nantur fiducia, cum in medijs angustijs eos
 recrees consolationum incundissimis riuu-
 lis, sæcundo nimirum tuo spiritu, exerendo
 raras & admirabiles tui auxiliij rationes.
 Qua tua bonitate & nos freti, haud obstan-
 tibus innumeris peccatis nostris quibus te
 gravissimè offendisse confitemur, precamur
 vt gentes & regna, quæ vides magno im-
 petu, & callidissimis consilijs tuam Eccle-
 siam oppugnare, ipsa nutent & debiliten-
 tur: in voce tua inclames, qua solet terra et
 omnis creatura concuti atque dissolui. Tu
 stes à nobis quasi munitissima arx, ò Deus
 noster: amoueas hinc bella, lanceas, equos,
 currus, & omnia armorum genera abs te

P R E C E S

bebetentur, quo tandem conatus remittant
 suos qui nos oppugnant, tuque præ omnibus
 rebus sublimis ac eximius appareas, dum
 vniuersis exercitibus ac omni mundi poten-
 tia te meliorem ad nostram salutem decla-
 raueris, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

EX EODEM.

Quicumque præceps aut horrendus ca-
 sus, omnipotens Deus, nos direxerit,
 non spe deiiciemur, neque ali-
 quo consternabimur, cum te iam constitue-
 rimus vnicum nostrum præsidium: tamen
 concitentur mundi tumultus, carnis tem-
 pestates intumescant, ac totus diabolus cum
 suo vniuerso apparatu omnia nostra videa-
 tur concutere, in tua bonitate ineffabili &
 inuisita potentia acquiescimus. Merentur
 quidem peccata nostra omnia turbulenta
 atque hostilia: sed tu, ut bonus es, illa nobis
 ignoscas & miseris presentium calamita-
 tum, salutem, pacem, atque tranquillita-
 tem concedas te inuocantibus. Tibi quippe
 facillimum est gladios, arcus, bellicas ma-
 chinas,

rhinas, omnesque diaboli versutias nedum
 verbo tuo potentissimo, sed vel nutu, vel
 ipsa voluntate dissoluere. Cupimus, o Deus,
 in id incumbere, vt contemplemur quæ tu
 adas pro tuis facinora, quod te omnes intelli
 gant stare à nobis, & destinasse tuorum fide
 lium perpetuum fore adiutorem, per le-
 sum Christum dominum nostrum, A-
 men.

EK PSALMO XLVII.

Dignatus es, omnipotens Deus, Eccle-
 siam tibi cogere in terris, ac nō in æ-
 des lapideas aut marmorea templa infer-
 re, sed in viua hominum pectora, quæ tuis
 admirandis donis ornas & Spiritu Sancto
 excolis: quo tanto munere donatos festiva
 gaudia & letos plausus par est omnes fide
 les edere. Sed has gratiarum actiones & hū
 lara carmina, obfuscant plurimum fune-
 sta peccata quæ admisimus, & illorum me-
 rito afflictionib. grauiter premimur: cumq;
 nos hæcenus errasse fateamur, & nunc non
 indigna pati nostris flagitijs videas, qui es
 ipsa misericordia, ignoscas populo tuo, quiq;

P. R. E. C. E. S.

excelsus es & latissimè imperas, ne nos per-
 das prout sumus commeriti. Da, optime pa-
 ter, vt regno tuo non obstant nostra vitia:
 perge subijcere fidei novos populos, & ver-
 bo tuo parere facias quæ hæcenus fuerunt
 infideles nationes, quiq; delegisti tibi Ecclē-
 siam vt eximiam et insignem hæreditatem,
 in ea perpetuo modis & laudib. multo cul-
 tissimus efferaris, ita vt omnes te habeant,
 prædicent & canant suum regem. Tuos au-
 tem, qui modo videntur omnium abiectissi-
 mi, ita spiritu illustres & verbo regas, vt
 eos gubernari tuo imperio omnes intelli-
 gant. Monarchæ, & quicquid in mundo est
 potentia, demum tibi se adiungant, vt eo-
 rum sis, haud aliter, Deus, atque fidelis Ab-
 rahami antiquitus fueris. Reges ac omnes
 principes, qui pro suo munere hominibus sibi
 subditis præsidio esse debent, fac te agno-
 scant, quo in eis maiestas & gloria tua ad
 Ecclesiæ non vulgarem utilitatem clarissi-
 mè resplendeat, per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

EX EODEM.

Promotionem regni Christi, Deus Opti-
 Max. conuenit omnes fideles ingenti
 plausu.

plausu, admiratione letabunda, & studiosissimo favore prosequi: nam ibi & declaratur tua bonitas, & ipsi nostræ salutis composites efficimur. Meretur ille quidem ut omnes populi ac nationes eius imperio subiciantur, & nobiscum agetur quàm optimè, qui singularis eius hereditas sumus, præcipuumque ipsius peculium. Te itaque, rex noster, qui ad cælos & ad dexteram patris euectus es, rogamus, ut à culpis, in quas incidimus nos digneris eximere, & quæ calamitates vel aduersi casus imminet, à nostris cervicibus tua misericordia ac potentia propulsare, quo tu ipse solus in nostris animis regnes: omnesque Reges, qui que in terris magnates & principes rerum potiuntur, tibi legitimo ac verissimo Deo indiuisè adhaereant, Per eundem Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XLVIII.

TVA Deus Opt. Ma. amplitudo ac eximius honor in Ecclesia summopere floret, cum in ea verbo & spiritu potentissimè imperes: neque solum ibi mirificè laudaris, imò quicquid est decoris & solidi gan-

P R E C E

filij in vniuerso orbe, inde citra controuer-
 siam deriuatur. Cumque illis longè melius
 quàm alibi cognoscari, eò sit, vt fidelibus
 tuis eo loco sis tutum per fugium & arx mi-
 nitissima. Conueniant itaque reges, & Mo-
 narchæ huius mundi conspirent vt volue-
 rint ad eam oppugnandam, cogentur ab in-
 cepto desistere, vt qui vim & potentiam
 tuam presentem senserint, percussi metu at
 pauore exterriti se à suis conatibus reci-
 piant: quibus enim tu incutis terrorem, is
 dolore corripuntur instar mulierum parti-
 entium. Non itaque, ô Deus, vincant nostra
 peccata bonitatem tuam: grauius quidem
 te offendimus, neque id insciamur, at vn-
 cum nostris peccatis agnoscimus & tuam
 clementiam quam imploramus, quo tan-
 dem non meritis nostris, sed beneficio, fa-
 uore & gratia filij tui tibi reconciliemur:
 desque vt Ecclesiæ tuæ hostes haud aliter
 disperiant, atque naues in medio mari sepe
 conteruntur maximo fragore à ventis de
 improviso excitatis, ita vt quemadmodum
 auribus audiuius è sanctis scripturis pro-
 missiones tuas amplissimas prædicari, ita
 fieri oculis quoq; videamus. Concepimus in
 spem

spem & fidem ex his qua nobis proponuntur in eloquijs tuis, facias, quasumus, vt res consequantur, vt predicationi tui nominis & bonitatis, post exhibita beneficia adiungantur gratiarum actiones magna celebritate, quoque passim agnoscat meram esse iustitiã quicquid abs te prodierit: sisq; Deus noster, Deus inquam noster & quoad huc vixerimus, & aeternum, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

OMnes creature, Deus Opt. Max. tuam luculenter bonitatem contestantur: sed Ecclesia præcipuum est opus quo vnicè predicaris & celebraris. Inde vniuersus orbis exhilaratur, quandoquidem illic sana est doctrina, qua & ipse agnosceris, & nos vocamur ad cælum: quicquid iucundi, læti, beatiq; in terris haberi potest, ibi floret. Idcirco non est mirum quando aduersaria potestates minaci, rabido, & furibundo impetu contra illam mouent. Si tu illico ades, tueris, foves ac defendis, ita vellent nolint cogantur mundi rectores & principes tenebrarũ turbati, præcipientes fugere.

P R E C E S

ae summa trepidatione consternari. Fran-
guntur tua virtute illorum impotētes irae:
tui verò fideles ibi tristibus curis leuantur,
quæ beneficia nos interdum non sentimus,
quod in culpas varias ac multiplices, par-
tim infirmitate, partim ignoratione, im-
puls, malè & molestè viuimus. Per tantū
itaque honorem domus tuæ obsecramus, vt
expies quæ in te commisimus, quò in ipsa
Ecclesia tu ipse ad laudem tui nominis nos
& regas & gubernas, Per Iesum Christum
dominum nostrum, Amen.

EX P S A L M O X L I X .

PRecamur, Omnipotens Deus, vt adhi-
bita fide eruditioni spiritus Sancti, cū
in afflictionibus à prauitate hostium pre-
mimur, id animo reuoluamus, illos plurimū
opibus & fortuna, qua florent, inniti: neq;
enim intelligunt in mundo nullas esse diui-
tias quibus possint homines à morte & æ-
terna damnatione se redimere. Cohibeas, o-
ptime pater nostros affectus, ne rebus ad eò
caducis inhereant. Admoneat nos commu-
nis infirmitatis & miserie, quæ totum per-
uasit nostrum genus, vel mors ipsa, qua in
omnes

omnes promiscuè grassatur: quantumcunq;
sapientes aut stulti fuerint homines, haud
illis conceditur elusa morte frui æternum
partis substantijs. Confitemur planè & nos
frequenter hinc lapsos esse; qui mundi viri-
bus freti, admirabiles conceperimus animo
victorias, pompas atq; triumphos, quasi no-
stra nomina vltra omnem finem efferenda
essent. Neque benè habuimus ob oculos, mo-
mentaneam esse latam fortunam & prospe-
ros successus carnis, & illis quicunq; fidunt,
instar pecudum tandem intereunt, collocan-
tur in inferno atq; æterna premuntur nocte.
Hanc noxam, ô Deus, ignoscas nobis, & se-
clusos ab inani spe mundanarum opum, nos
ipse suscipias, quas ab inferno & morte eru-
as. Da vt nil metuamus nobis ab his qui se
& domos suas diuitijs ac dignitate pluri-
mum auxerunt, quæ omnia illis in hac vita
duntaxat commodo esse possunt, vt quod ad
carnem attinet genio magis indulgeant. Ro-
gamus te postremo, ô Deus, vt Ecclesiã tuã
ab his hostibus liberares, qui non intelligen-
tes honorem & authoritatẽ sibi à Deo col-
latam, non solum vt iumenta moriuntur,
sed expoliati presentibus bonis, cum mor-

P R E C E S

qui fuerint launt aternas pœnas, per Iesum
Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Atentissimis animis audiri debent,
omnipotens Deus, memorabilia ora-
cula sacra doctrina, quæ in sanctis literis di-
gnatus es proderere: nullus est obscurus homo,
aut vir clarissimus, cui non sint, quæ loque-
ris diligentissimè audienda. Idque impri-
mis admones, ut fiduciam, quam in te vno
debemus collocare, nequaquam in bona bu-
im mundi, quæ vana & caduca sunt distri-
buamus. Quicquid est opum, roboris, splen-
doris, aut dignitatis inter homines, à morte
non valèt nos redimere: imò ea est illorum
fors, ut citò mutantur & in momento inte-
reant: neque potest homo, qui his innititur,
diu esse conspicuus. Dum enim ipsa marce-
scunt & pereunt, eius quoque fucata glo-
ria deflorescit. Quare te rogamus, optime pater,
ut n. his remittas, quod tam diu ac ad-
eò tenaci affectu his bonis hactenus hæseri-
mus, nostrosque animos inde auulsos, tibi
& sermonibus tuis quã arctissimè copules,
ut nil sit nobis optatius, quã te sequi & ali-
eri-

eriter capessere quæ iusseris. Ne reddamur
iumentis per similes, atque ut muta pecu-
des intereamus, per Iesum Christum domi-
num nostrum, Amen.

EX PSALMO L.

Fortis & optime Deus, qui dignatus es
ex tua misericordia ex vniuersis orbis
finibus Ecclesiam ad te cogere, idque pri-
mum per Apostolos, quos in monte Zion or-
nasti opulentissimo spiritu filij tui. Neque
alia de causa tam mirabiliter electos & bo-
nos tuos voluisti colligere, nisi ut vera di-
mini cultus ratio, in qua proculdubio si-
ta est solida fidelium perfectio, publicè
tandem in omnibus gentibus percipere-
tur: disceremusque non tantum in exter-
nis ritibus & surdis ceremonijs consta-
re pietatem. Illa enim, quemadmodum ti-
bi placent si fidei testimonia fuerint, ita si
ea destituantur, odiosa tibi sunt & summa
detestationi. Atque illud potissimum requi-
ris, ut non solum ex nostris verbis & cogi-
tatis, imò ex omnibus vitæ actionibus, glo-
ria & laudes nomini tuo proueniât: vii. vs.

P R E C E S

bona fide quaecunque tibi vouimus præste-
 mus, modo ea simus persuasi, & verbo tuo
 consentire, & pietatem promouere. Poscis
 deinde inuocari, dum aduersis premimur,
 ac ubi erepti fuerimus, tibi, uti par est, gra-
 tias agi. Ista exigit, ut præcipua religionis
 capita. At nos, ô Deus, miserè admodum &
 infelicitè peccauimus, qui semper nostris
 ritibus & ceremonijs parum adiecimus fi-
 dei, & sacras literas, corde ab eis alieno, se-
 pius tractauimus, disciplina ingrata nobis
 fuit, & mandata tua prauis cupiditatibus
 passim negleximus. Nunc itaque ob tuam
 clementiam & bonitatem inexhaustâ hæc
 mala ignoscas nobis, & ab his liberes qui
 rapinis & impudicitijs inuoluti, & nomen
 tuum blasphemant, ac de Ecclesia & Euan-
 gelio tuo indignissimè loquuntur, teq; obli-
 uisci putant scelerum quæ ab ipsis admit-
 tuntur, cum ea non ulcisci sed patienter fer-
 re videaris. Pone semel ipsa sub oculos, neq;
 nos ita ab illis rapi sinas quasi nullus sit
 qui eripiat, per Iesum Christum
 dominum nostrum,

Amen.

EX EODEM.

Indicasti nobis, *Deum Opt. Max.* tuo illo se-
 uero iudicio quo causæ mortalium ad sum-
 mum tribunal sunt cognoscendæ, nolle de vi-
 timis & externis sacrificijs disceptare, vt
 qui vitulos, hircos, feras, demumque omnia
 totius orbis animantia perpetuo habeas in
 tua potestate, neque voluisti vnquam tibi
 hæc offerri, nisi vt essent fidei, religionis et
 internæ pietatis manifesta testimonia. Ab
 humano autem genere potissimum requisi-
 uisti, vt de beneficijs acceptis gratias age-
 rent, tibi que vniuersa bona, quibus fruun-
 tur accepta referrent: idque sedulo adnitan-
 tur, vt quicquid tentant & moliuntur, vti
 se facturos promiserunt, ad gloriam tui no-
 minis instituant, teque vnum inuocent in
 suis ærumnis atq; calamitatibus. Hic nos ô
 Deus, vt nosti, grauiter labimur: ideo te ora-
 mus, vt pro tua bonitate remittas atq; igno-
 scas, quicquid noxæ ac culpæ hætenus incur-
 rimus: ne tuos sermones ad nostram condem-
 nationem tractemus, neque insolentes, alieni
 cupidi, libidinosi, atque maledici tua senten-
 tia pronuntiemur, sed tibi sacrificium lau-

P R E C E S

*In aſſidue offeramus, noſtraque vita ad nor-
mam tuorum mādatorum componatur. per
Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, Amen.*

EX PSALMO LI.

Miſericordiam tuam, Deus Opt. Max.
coniunctis precibus imploramus quo
mūdēmur, lauemur, & abſtergamur abini-
quitate, ſcelerib. & ſlagitijs noſtris. Agno-
ſcimus ac fatemur vt corā te haſtenus pra-
uē egerimus, ſed noſtra peccata nunquam
valebunt te iniuſtum aut parum fidelem
reddere. Nos quidem probē intelligimus,
quod haud meremur vt praestes, illuſtres &
ampliſſimas promiſſiones nobis factas, ve-
rum hīc opus vt tua ſuccurrat fides atque
constantia. Vides vt corrupti & vitiati à
partu edamur in lucem, qui antea in iſtis
iniquitatibus concepti fuimus. Expurges
itaque animos noſtros, & illos candore ti-
bi accepto digneris ornare. Da cor purum,
ſpiritum rectum ſanctum, & vlroneum,
quo abs te non proijciamur vt impij, ſed
vera gaudia & ſolidam letitiam recupe-
remus. Si nos à peccatis, quae nos capitis, æ-
terna mortis arceſſunt, liberaris, ſoluen-

tur alacriter labia nostra ad te laudādum.
 Largire, precamur, vt sacrificio, quo vni-
 cè delectaris, confracti spiritus, deiecti &
 attriti cordis te accedamus: ibi & præsen-
 tes calamitates lenientur, & ibi non erunt
 ingratae laudes quibus te celebrabimus. De
 clares erga Zion, id est, Ecclesiam, bene-
 uolentiam tuam: vides in quantum verse-
 tur periculū, foris & intus premitur, eam
 quesumus vt non solum eripias ab hosti-
 bus externis, sed etiam reformes atque in-
 faures, quo non aded te sponso habeatur in-
 digna, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

EX E O D E M.

Agnosimus omnipotens Deus, quā
 pernitiōsa labe peccatorum animos
 nostros contaminauerimus, quod nobis cum
 molestissimum sit & vehementer doleat,
 neque possimus nostris viribus, aut vllō ge-
 nere bonorum operum contractas macu-
 las eluere: hoc vnicum suffugium reli-
 ctum est, vt te misericordiæ fontem ac-
 cedamus, quo nostrā misertus culpas

P R E C E S

abstergas, iniquitates abluas, peccata deleas, & vitia repurges, quibus & à conceptu & à partu sumus obnoxij. Etenim si maleficia & scelera, quibus oneramus, liberaliter condonaueris, tum sanè verax, fidelis, & maximè constans in tuis promissis apparebis. Aspergere nos digneris vnigeniti filij tui sanguine, quo vno possunt & animus & corpus ad salutarem latitiam reformari. Cor nouū in visceribus nostris creari cupimus, & donari heroico spiritu, quo haud coacti, sed vltro ac summè volentes offeramus tibi sacrificium afflicti & prostrati spiritus, quod tu nunquam despiciere consueuisti. Demumque sic puri & expiati fauore ac tua misericordia, semper tibi sacrificia laudis offeramus, per eundem Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LII.

Qui suis malitijs prauauerunt, & sceleribus aliquam potētiam adepti sunt, illam consueuerunt insolenter iactare, seque perpetuò maledictis oblectant, nocere, mentiri, & fraudulenter loqui habent pro summis & exquisitis delicijs.

*l'is. Ac miseri non interim sentiunt, quàm
 inopinato & repente sint euertendi fortuna-
 nis, & caducis bonis huiusmodi, atque ab
 aeterna salute remouendi, ita vt in terra vè
 uentium nullum locum sint habituri. Nos
 verò Deus Opt. Max. qui tue misericordiae
 & bonitati potissimum innitimur, oramus
 vt deletis culpis in quas humana imbecillè
 tate frequenter incidimus, moderato ani-
 mo simus, neque propter vlla dona tua iacta-
 bundi efferamur, sed casu atque superbo-
 rum hominum euersione, sapiamus, qui non
 Deum, sed opes & mundi fortunas, robur ac
 firmamentum sibi constituerunt. Largire
 quaesumus pro tua clementia & pietate, vt
 vni tibi firmiter adherētes, instar oleæ frō
 dose atque virentis in Ecclesia tua, fructuo-
 si viuamus, teque quod in tuos opulentissi-
 mē sis munificus, vt par est, celebremus,
 per Iesum Christum dominum nostrum.
 Amen.*

EX PSALMO LIII.

VAE sana impiorum nequitia eò pro-
 rumpit dementia, vt sibi persuadeat
 Deum non esse, vnde vitam corruptissimè

P R E C E S

instituant, & moribus perditis atque fo-
 diſſimis actionibus paſſim contaminantur.
 Utque nullis benefici ſunt, ita ubique ſub
 cum aliorum iniuria quaerunt. At Deus,
 quem ipſi negligunt, iſta non ignorat: qui li-
 cet ſua maiestate cœlos impleat, idem tamē
 hominum facta diſpicit, inter quos, probū
 dolor, ne vnum quidem videt, qui probita-
 tis, fidei, & iuſtitiae ſtudijs teneatur: omnes
 à recto deflexerunt, opprimunt imbecillio-
 res, Deumque nec iuſtè colunt, neque riſè
 inuocant. Sed erit quādo hi, qui modo ſunt
 adeò ſecuri, vehementiſſimo timore exagi-
 tabuntur: qui que videntur ſibi fœliciter in
 ſua impietate agere, tandem omnibus bonis
 proturbabuntur, cum Deum iratum ſint ha-
 bituri. Quamobrem te oramus, cœleſtis pa-
 ter, vt nobis ad te confugientibus velis eſſe
 propitiuſ, & à vinculis peccatorum, qui-
 bus cōſtringimur, expedias, quo ſolida apud
 te letitia exhilaremur, atque tecum
 eterna fœlicitate fruamur, per
 Ieſum Chriſtum dominum
 noſtrum, A-
 men.

EX PSALMO LIII

Quando tui Deus Opt. Max. dubijs in-
 stantur casibus, eorumque animi tu-
 ris grauisimis fluctuant, seposi-
 ti humanis auxilijs, quæ docentur abs te
 nequicquam sperari & prorsus inania esse,
 te accedunt vt firmum robur, tuumq; inui-
 sum numen implorant, idq; ex imo pectore,
 vt se ab illis eripias, qui scævi, immites, &
 animo truculento exurgunt & incitantur
 in sanctos, quos ipse tibi in regnum & here-
 ditatem ascisti: & eò crudelius in eos de-
 signant quæq; acerbissima, quod te, quem re-
 vereantur, nunquam sibi statuunt ob oculos.
 Cum itaq; & nos propter peccata quæ admi-
 simus, iam sentiamus nobis imminere pœnas
 meritas, & graua supplicia, te precamur,
 vt supplicibus digneris parcere, quos te of-
 fendisse pœnitet, & pro tua misericordia sta-
 re ab illis, quando à furentib. hostibus oppu-
 gnantur. Hoc etsi merita nostra haud requi-
 runt, nihilominus id tua fides, veritas, &
 promissiones pollicetur. Et voti cõpotes, car-
 minibus laudis assidue te compellabimus,
 gratumq; animum in leto piorum hominũ

P R E C E S

ætu declarabimus, Per Iesum Christum do-
minum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Nomen tuum, omnipotens Deus, per-
petuo inuocamus, quo presens tuum
auxilium experiamur in his extremis affli-
ctæ Ecclesiæ calamitatibus, nunc opus est
vt fortitudine, ac inuicta potentia qua præ-
ditus es, nos tibi asseras è manibus impio-
rũ. Et licet vitiosi mores atque corrupta vi-
ta, quam hætenus viximus id nequaquam
mereantur, attamen eã scimus esse tuam mi-
sericordiam, vt ad te confugientes, quantiũ
uis miseros & indignos non asperneris, pro-
pter illam igitur, non autem pro nostris be-
nefactis, quæ vt nulla habemus, ita nulla id
etare possumus, audias, ô Deus, preces no-
stras, & verba quæ coram te votis commu-
nibus profundimus, clementer admittas. Vi-
des quonam pacto alieni abs te in nos insur-
gant, dumque te & verbum tuum non sibi
statuunt ob oculos, Ecclesiam omni conatu
adnituntur euertere. Tu sis precamur, adin-
tor, tu seruorum tuorum animos corrobora-
res, & mala rependas impijs quæ merentur,
vt non en-

ut nomen tuum effuse confiteamur, atq; bonitatem passim depradicemus, quod ab omnibus oppressionibus sumus liberati, & in hostibus tuis ea viderimus, quae illis ab omnibus pijs optari debent, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LV.

Cogimur Deus Opt. Max. urgentibus Ecclesia summis necessitatibus quotidie ad te clamare: non enim quieto animo esse conceditur, quando videmus & experimur illos qui Evangelio malè volunt, tantò sollicitè moliri credētium tibi euerfionem, Timemus perturbamur, & horremus, tantum non cupimus pennas columbarum, quibus ex his malis auolando tandè in te possumus placidè conquiescere. Verum sic affligere bene cōuenit nostris peccatis, quibus te diu & grauiter offēdimus: illa indubitato hae nobis accersuerunt mala. Sed tu quasumus optime pater, ne vitijs et sceleribus nostris plus commouearis quàm ipsi ferre possumus pro tua misericordia libera nos à fraudulentibus & subdolis sermonibus atque consilijs: & prospice, ne ab his plagam accipiat

P R E C E S

Ecclesia, qui eius quandoq; visi sunt alum-
 ni, & vnà nobiscum in ea dulces tuorum
 Sacramentorum escas perceperunt. Nunc
 ad te clamamus, instamus importunis pre-
 cibus, vt qui sepè aliàs tuos mirabiliter ad-
 iuisti, sic velis in presentia nos redimere
 ab interitu. Non finas fœdus violari quod te
 cum habent tui pacifici. Omnia nostra one-
 ra & graues curas iam super te prorsus ab-
 ijcimus: illa simul & nos ipsos tua potentia
 digneris ferre. Labimur alioquin & sub pœ-
 dere gemimus, quare tuo presenti auxilio
 spes nostras tenues digneris fouere & auge-
 re, per Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

GRAUES habemus causas, omnipotens
 Deus, quibus ad tuum implorandum
 auxilium perpetuo adigimur. Etenim à mû-
 do, carne, diabolo, hostibus veritatis, & ad-
 uersis casibus perpetuo afflictamur, qui sic
 vt sepins & vehementer optemus plumas
 & alas columbarum nobis concedi, quibus
 hinc ad te quàm celerrimè auolemus. Nam
 hic præter te, qui nos eripiat, habemus ne-
 minem, è tantis malis: inod tam fallax est
 spes

Spes que in hominibus collocatur, ut quos
 putes tibi magis charitate deuinctos, illos
 acerbissimos hostes experiare. Vbiq; vene-
 nata lingue pios flagellant, violentia, con-
 tentiones, iniustitia, oppressio, impostura ac
 doli passim grassantur. Quamobrē ad te cla-
 manus toto pectore, ut repurgatis nostris
 animis, deleas culpas quibus miserē sumus
 commaculati, nosq; vni tibi fidentes assu-
 mere digneris: quippe in te reijcimus on-
 era & molestias nostras, cumq; illis penē suc-
 cubuerimus, precamur, ut nos tua bonitate
 atque potentia suffulcias, ne collabatur vel
 infirmetur spes quam in te positam habe-
 mus, sed robusta & constans indies magis
 ac magis euadat, per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

EX PSALMO LVI.

Conantur Deus Opt. Max. impij homi-
 nes nos absorbere: oppugnant & affle-
 gunt omnibus viribus suis. Sed cum excel-
 sa sit potentia tua præ omnibus principi-
 bus & regibus terræ, ac in te vno sit no-
 stra fiducia, iam te nostrum misceat.
 Fateamur quod in grauissimas offensio-

P R E C E S

nes tuas propter peccata nostra incurrerimus, quando Legis & Euangelij doctrinam abs te nobis propositam, adeò miserè contemptissimus, vt dedecori hæctenus ei perpetuo fuerimus. Sed modo nobis id ex animo dolet, ac Iesu Christi filij tui nostrique seruatoris confisi morte & sanguine, omnium peccatorum nostrorum veniam abs te seriò & ardētissimis votis imploramus. Cum etenim in gratiam nos susceperis, minimè timebimus quid nobis caro faciat. Tu causa tuae aderis, videbisque vt tota die religionem tuam & cultum tuum impij calumnientur, vtque mala in populum tuum assidue cogitent. Quando igitur tam iniquè agunt in redemptos tuos, quomodo ab ira tua euadent? Tu consueuisti deponere aduersarios tuos dum illis succenses. Non est mori tibi vt gemitus & lachrymas, pauperum tuorum obliuiscaris: sunt iam in libro prouidentiae tuae descriptæ omnes preces nostræ. Exaudi eas ò Deus cælestis pater, cumque te inuocamus impulsus & agitati spiritu tuo, hostes in fugam conuertas. Esto pro exercitu tuo, illam protegas, robores atque confirmes: si tu pro nobis, non timebimus quid nobis

his homines faciant. Abs te liberati promissiones & verba tua eternum celebrabimus. Fac Deus ut pace atque tranquillitate recuperata, in cōspectu tuo perpetuo versemur, & semper lumine vultus tui dirigamur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

DUM hic vivimus, omnipotens Deus, id exigentibus nostris culpis adeo sunt nobis omnia male pacata, ut mortiferis impressionibus aduersariarum potestatum vndique inuadamur: imò nisi tu adsis: videmur statim absorbēdi. Quare ut defendamur, quoties fragiles animos vehemens timor occupat, ad tuam misericordiā, qua nitet & fulget quā latissime, nostras preces effundimus, quo sermones & promissiones tuas adeo suspiciamus & habeamus in precio, ut illis confirmati, quicquid triste, horridum, insuave, & asperum occurrerit, forti animo superemus. Tu optime pater, ut nostras lachrymas apud te collectas & descriptas habes, ita cum invocaris, à catenis, & compedibus strumarum tuos expedias,

P R E C E S

nostrisq; ut bonus es, reatibus expiatis, tan-
tum concede roboris & firmæ spei, ut nulla
malorum hominum vi perterreamur: quod
si nos à morte, potissimum æterna eripue-
ris, vota laudam nomini tuo æternum red-
demus, per Iesum Christum dominum no-
strum, Amen.

EX - E O D E M.

Implorare quotidie pergimus, omnipotēs
Deus, misericordiam tuam, quando absor-
bere conantur Ecclesiam, ij qui eam nun-
quam desistunt varijs modis oppugnare,
qui non sunt numero pauci & viribus ul-
tra modum inualescunt. Neque aliud est
quod nobis magis terrorem incutiat quàm
ipsa met peccata nostra, quibus et te grauis-
simè offendimus, & nos tuo favore prorsus
indignos reddidimus. Attamen, que in te
singularis est clementia, sperare non desisti-
mus, promissiones tuas habemus ob oculos,
quarum sermones & verba laudamus, ap-
probamus, & quantum possumus fide com-
plectimur. Fac igitur optime pater, ut non
plus quàm oporteat, quod nobis caro possit
officere, vereamur. Scimus impios iam vbi
que

que nos calumniari, in sanctam doctrinam intendere omnia eorum cogitata : obseruant & captant omnem occasionem demoliendi Ecclesiam. Tu autem, ô Deus, inuocationes, & gemitus fidelium tuorum ne despicias, nos corroborea & ita confirma, vt quid homines facturi sint nobis, nihil moremur. A lapsu & exitio libera animas nostras, quo & nunc, & post hanc vitam detur, vt fruamur tuo felici atque beato lumine, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LVII.

Cum, Deus Opt. Max. præter te vnum aliud minimè super sit refugium, tibi omnem nostram salutem committimus defendendam, quo abs te protegamur, donec offerueat iste furor illorum à quibus violentiam Ecclesia tua patitur. Propterea auentuum aeternum inuocamus, cuius auctoritate atque potentia cuncta effici liquet omnibus pijs. Fac, precamur, ne obstant bonitati tue peccata nostra, quæ vt grauissima & insueta esse confitemur, ita non ambigimus dimittenda nobis

P R E C E S

esse, per vnicum mediatorem nostrū Iesum
 Christum, cuius fauore tui non solum in cæ-
 lo seruabuntur: sed pro tua fide & bonita-
 te: ignominia tandem afficientur, quicunq;
 fideles tuos annitentur opprimere. Tu ipse
 vides, optimè pater, vt inter leones, in me-
 dijs flāmis, inter arma robustissima, & lin-
 guas maximè nocentes cogatur perpetuo de-
 gere illius Ecclesia. Quamobrem ad eius sa-
 lutem efferas atq; declares potentiam tuā,
 vt laquei & insidia sanctis tuis instructa,
 uoceant demum tantummodo authoribus:
 nobis verò digneris attribuere firmum cor,
 & animum constantem ad te confitendum
 & prædicandum. Tantam etenim agnosci-
 mus atque scimus esse tuam bonitatem, vt
 non solum voce sed fidibus, cythara, & om-
 ni laudum forma ac ratione sit celebranda,
 quæ ultra nubes ad cælum vsq; pertingat.
 Hæque vt in dies auctior fiat magisque in-
 telligatur, nostro quoque hoc tempore, te at
 tollas & vim tuam ad nos protegen-
 dos demonstrates, Per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum,
 Amen.

E X E O D E M.

IN arumnis & extremis calamitatibus
 Nil magis, Deus Opt. Max. animum rele-
 uat & consolatur, atq; fiducia anchora tuæ
 bonitati quam firmissimè harere. Quare nõ
 immerito cum semper aestuemus & incen-
 damur nostris vitijs, te accedimus, teq; præ-
 grauati, sarcina peccatorum, quotidie inuo-
 camus. E cælo nobis quæsumus demittas o-
 pem, alioquin non vixerimus tuti à leoni-
 bus, lanceis, iaculis, & dolosa lingua, qui-
 bus à sathana miris modis oppugnatur Ec-
 clesia. Te ipsum efferas, tuasque infinitas
 vires, nos eripiendo, declares. Ita enim boni-
 tas & fides tua, quæ nubes & cælos longè
 superant, sua ingenti magnitudine perspi-
 cùe apparebunt, nosque debitas agendo gra-
 tias pro salute impetrata, letabundi & no-
 men & laudes tuas æternum congeminabi-
 mus, per Iesum Christum dominum nostrum.
 Amen.

E X E O D E M.

DVM ita coarctatur Ecclesia omni-
 tens Deus à tui nominis atque doctri-

P R E C E S

*ae hostibus, tibi vni fidimus, atque sub ala-
rum tuarum protectionem confuginus: ad
te clamandum esse perpetuo, agnoscimus,
cum tu vnus causam nostram valdeas expe-
dire. Non diffitemur adeò mala esse nostra
merita, ut iure optimo presentibus calami-
tatibus tantum non conficiamur: nihil bo-
na fide prestitimus, quod nomine & specie
professi sumus. Verum tuum est, ò Deus, cū
sis ipsa bonitas atque misericordia, consu-
gentes ad te non reijcere. Mittas, prece-
mur, de caelis tuum praesidium, quo tuos fi-
deles eripias ab impiorum opprobrijs. Ru-
giunt Antichristi contra Ecclesiam instar
leonum, ac redduntur in dies magis inflam-
mati odio verbi tui. Efferas igitur, optime
pater, & conspicuam facias gloriam, qua
es pra omnibus illustris: dissipa retia, imple
foueas, & dolos redde inefficaces quos in-
tendunt aduersus Euangelium, quo nos ter
indies magis atque magis confirmetur ani-
mus ad te confitendum celebrandum.*

*& super omnia efferendum, per
Iesum Christum dominum
nostrum, Amen.*

EX PSALMO LVIII.

A Mundi principibus, omnipotens
 Deus, Ecclesia pessimè diuexatur, cū
 de diuinis & caelestibus rebus non sanè iu-
 dicent, qui iniquitatem perpetuò versent
 in animo, ac moliantur solummodo violen-
 tia contra electos tuos. Sed quid illi secus fa-
 ciant cum ab ortu improbi sint editi in li-
 cem, venenumque habeant nocentissimum
 instar serpentium sibi à natura insitū, quod
 nullis exhortationibus aut verbis Dei po-
 tuit vnquam illis adimi: etenim ea non ali-
 ter à se depellunt, atque aspides carmina
 magorum denitant. Vt igitur à tam fero-
 cibus inimicis tuæ fidei atque doctrine af-
 figeremur, peccata nostra probè commeri-
 ta sunt, quæ nunc & fatemur, et oramus vt
 pro tua misericordia nobis ignoscantur. De
 inde illud quoque à te petimus, vt ipse leo-
 num dentes confringas atque demoliaris:
 vt aqua diffluant, sint veluti sagite confra-
 ctæ, neque plus fidelibus tuis noceant atque
 limax quæ in sua testa contabuerit, debili-
 tentur vt fœtus immaturi, & demū effe-
 rescant illorum impetus, quemadmodum

P R E C E S

Flamma è spinis concitata facile restinguitur. Tuos iustos verò, ô Deus exhilares, vt perspectis vltionibus ingentibus, quas ipse de aduersarijs tuæ religionis sumpseris, factum videant esse repositum fidelibus tuis, confirmeturq; ipsorum probitas, cum agnouerint in terris exerceri abs te seuera iudicia, per Iesum Christum dominum nostrum Amen.

EX EODEM.

ANtichristus & omnia eius membra, Deus Opt. Max. iam nihil aliud voluunt animo contra Ecclesiam tuam, quam iniquitates & iniustissima cogitata, cumque speciem sibi faciant & haberi velint Concilium pietatis atque religionis, re tamen ipsa nil moliuntur nisi mendacia, & abs te sunt alieni ab ineunte etate, semperque hæctenus delectati sunt erroribus. Nunc demum venenum cupiunt euoner: quod instar aspidis paratum habent, neque verbis tue sanctæ scripturæ ita potuerunt excantari, vt à suis prauis studijs desistere voluerint. Nos, quidem, cælestis pater, non iussumus qui ab illis propter nostra malefacta

non mereamur perdi, quandoquidem viam
 veritatis & vitam habuimus, quæ tua fuit
 misericordia, benè cognitam, verum ab illa
 semper defleximus ad pravas cupiditates.
 Sed tu ex gloria & dignitate nominis tui
 agas nobiscum, neque, quod ipsi meriti su-
 mus, sed quod tuis promissionibus est nobis
 annunciatum, digneris rependere. Aduer-
 sariorum tui nominis atque doctrinæ cona-
 tus, vires & potentiam confringas, atte-
 ras & omnino reddas inefficaces, quò iusti
 solide gaudeant cum suam causam abs te
 susceptam viderint, dumque recto iudicio
 egeris, esse aliquem fructum iustitiæ sen-
 tiant, per Iesum Christum dominum nostrum,
 Amen.

EX EODEM.

Sunt, omnipotens Deus, ita corrupti &
 perditæ impiorum mores, ut parum ad-
 modum vel nihil sani relictum videri pos-
 sit illorum iudicijs: dolos nectunt, vim in-
 ferunt, iamque inde à teneris & abs te de-
 fecerunt, & suis inueteratis maleficijs ob-
 noxijs viuunt: feritates, cordis duricie, rabi-
 do furore, æstuanti animo, atque indomita

P R E C E S

crudelitate conferri possunt serpentibus,
 leonibus, & cuius generi truculentorum
 animalium. Rogamus itaque ne incidamus,
 vt merentur nostra peccata, in id vesania,
 vt te deserto, qui omnium bonorum fons &
 origo es, illis sidamus & innitiamur: quod-
 que foret æquè perniciosum, illorum iudicia
 & sensus ne imitemur. Fac nos, quæsumus
 ab illis omnino dissentire, atque interim he-
 berentur eorum nocendi vires, quo veluti
 exarmatis, etsi non desit cupiditas nocen-
 di, & facultas & consilium eorum libidini
 ac impotentie subtrahatur. Pereant in mo-
 mento illorum conatus, ac letetur piorum
 Ecclesia, cum te intelligat, & iustis iustitiæ
 fructus reddere, & ab impijs, vt male sunt
 commeriti, pœnas reposcere, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LIX.

A Te vno poscimus liberari, omnipo-
 tens Deus, cum ab hostibus tue do-
 ctrinae atq; religionis grauius premanur,
 tuum est iam à prauis hominibus nos de-
 fendere, qui cadi vehementer inhiant, &

ad tollendos è terra sanctos tuos, vires at-
 que potentiam magnis conspirationibus au-
 xerunt. Propter scelera aut crimina, que
 plurima consistemur admisisse, haudqua-
 quã nos inuadunt, sed odio tantũmodo pie-
 tatis atque religionis accurrunt, vt sese ad
 nostram perniciem tum callidè tum violen-
 ter instruant. Sed tu, ô Deus, qui omnibus
 imperas creaturis, ignoscas primum quic-
 quid in te deliquimus: excitare deinde, at-
 que piorum causam tandem cognoscas. Va-
 gantur, fremunt instar canum, omnesq; re-
 giones circumcursant hostes crudelissimi:
 cumque nostris de rebus agunt, duntaxat ar-
 ma & gladios loquuntur. Verum tu Deus
 eos rideas ac suspendas naso: abs te opẽ tan-
 tummodo expectamus, qui nobis pro arce sis
 & munitione firmissima. Communices ita
 Ecclesia tuam admirabilem bonitatem, vt
 in hostibus pietatis optata videat. Non ra-
 tione vulgari eos perdas, verum tali sup-
 plicio, vt populi non facile obliuiscantur.
 Propter flagitia, mēdacia, periuria, quibus
 inuoluti sunt, vagos atq; mēdicos perpetuo
 esse facias: cōsumas eos tādē, cōsumas inquã

P R E C E S :

ut fiant vulgi fabula, sciatur ab omnibus te verè Ecclesia tuæ Deum esse, in qua celebreris magnificè veluti firmū robur, tutumque præsidium omnibus qui sincera fide nomen tuū inuocauerint, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Circumsepti humana infirmitate, omnipotens Deus, & grauium peccatorum cathenis animo constricti, misericordiam tuam quotidie imploramus, quo beneuolus & placatus ad nos audiendos inflecta vis: tentamur, inuadimur, & oppugnamur miris modis ab aduersarijs potestatibus, cumque hinc nostræ naturæ vires prorsus languent, ac inutiles omnino declarentur, tu, ô Deus, excitare, & quicquid nostræ salutis obstat, digneris tua potentia prosternere, tandemque rideas & subsannes eum qui mault se tuæ volūtati opponere, quàm se illis ut decet, accommodare. Robur salutis in te vnice collocauimus, qui te nostrum bonum esse minimè ambigimus. Ideo quamuis tui nominis aduersarij nos circumcingant, & quodammodo cæcis tenebris obfusus nos obsideant,

si deant, freti bonitate tua, speramus haud nobis, sed ipsis met obfuturam esse illorum malitiam. Sit itaque, ut fore speramus, tua bonitas pro arce, refugio, ac propugnaculo nobis, qui tuum eximium decus, & insignē clementiam & celebrare & prædicare vehementer cupimus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LX.

Consueuisti filios tuos, Deus Opt. Max. nonnūquā paterna seueritate castigare, quo confecti tandem aduersis casibus, & erūnis fracti se peccasse intelligant, et ad te anhelantes, expediri cupiant illis vitijs quibus antea mergebantur, ibi tu, ut bonus es & infinitè amabilis, te ipsis totum placatum atque propitium denuò exhibes. Quam obrem oramus cœlestis pater, ut nobiscum identidem hoc tuum antiquū retineas, atq; ex mœroribus, & stebili calamitate, quam nobis quotidie peccata nostra cōciliant, supplices tuos digneris eximere: quod futurum minimè dubitamus, cum mentibus nostris haud effluxerint quæ fidelibus promisti. Hinc redditur animus, hinc exhilara-

P R E C E S

mur, hinc denique sumus persuasi, vt qui olim videri potuimus abs te reiecti, in gratiam verè ac solidè recepti simus. Pergas itaque, ser auxiliũ, quo tuo præsidio freti, rem ad tui nominis honorem fortiter geramus, per Christum dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

SAEpius videris, Deus Opt. Max. fideles tuos abs te repellere, & quasi eis vehementer sis iratus, in diuersas partes disijcere: sed rursus pro tua bonitate illis conciliis ad eos fauorem atq; beneuolentiam tuam rursus deflectis. Quamobrem fiducia in nobis excitatur, vt qui terram nostro hoc tempore visus es concutere, atq; eius habitatores dissoluere, nouo & inusitato pauore, sis eius vulnera sanaturus. Et quamuis interdum velis duris & acerrimis casibus exercere populum tuum, non secus atque si venenato poculo eum potares, attamen his qui te reuerentur de improviso extollis vexillũ salutis, vt ad implendũ promissa tua, sub eo feliciter viuãt. Nunc itaq; oculos auertas à peccatis quæ admisimus: etenim haud inficiamur nos iniquè & peruersè egisse,

fuisse, sed cum pro tua clementia, te inuocamus
 tibus ignoueris, adsis vt consueuisti tan-
 dem Ecclesia, ac eã serues dextera tua. Tu-
 que ô Deus, qui nos ad tempus visus es repu-
 lisse, iam egrediaris, teque excites vt nobis
 opem feras, nam tuum non iniuste implora-
 mus auxilium, qui humanas vires inanes
 esse experiëntia ipsa edo sumus. Iuua itaq;
 tu eos qui in te repositam spem habent: da
 vt fortiter faciant, quo per te de hostibus
 suis victoria potiantur, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

E X P S A L M O L X I.

Preces, quas tibi fundimus Deus Opt.
 Max. quod summa premamur anxietate,
 propter graues, quas patimur, tentatio-
 nes abs te, vt egregius es pater & mira pie-
 tate insignis, audiri cupimus, ne miserè pe-
 rire sinas famulos tuos, in quibus diabo-
 lus extingui gratiam & dona tua sepeli-
 ri molitur. Idcirco apud te munimentum
 & fidam arcem esse patiaris, ad quam cum
 nostris viribus non ualeamus conscendere,
 tu ita fauore aspires, vt ad tabernaculum
 tui conspectus, & sub protectionem alarum

P R E C E S

tuarum euehamur, & hoc pacto à limine et
 faucib. mortis liberemur. Violauimus qui-
 dem legem tuam, & sanctum Ecclesie cor-
 pus nostris peccatis conscclerauimus: verū
 dum hoc fatemur, & abs te misericordiam
 imploramus, leuamen sanè magnum experi-
 mur, neque iam, tua bonitate freti, ullos ti-
 memus acerbos casus, quin potius ardenti
 amore flagrat animus cum te celebrandi,
 tum etiam reddendi cumulatissimè que ex
 nostra professione tibi debentur, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

E X P S A L M O L X I I .

CUM te, Deus Opt. Max. persuasum ha-
 bebimus nostrum propugnaculum, ar-
 cem, presidium & salutem esse, tranquil-
 lum & pacatum animum vel in medijs ca-
 lamitatibus retinemus. Nam diabolum &
 membra eius, quicquid moliantur aduer-
 sum nostram fœlicitatem, successu destituē-
 dum non dubitamus: quicumque tue volun-
 tati se opponunt, subsistere non valent, atq;
 eos demum expectatio fallit. Te itaque ro-
 gamus, vt deletis culpis, quas, vt infirmi
 sumus, nō insciamur complures incurrisse,
 nostram

nostram defensionem, vt hactenus consueuisti prosequaris. Quandoquidem te adiutore mundanorum hominum terrorem omnem excutimus, vt quos agnoscamus vanos esse, atque ita vanos, vt si trutina explorentur ipsa inanitate inaniore comperiri valeat. Eorūque vt non timemus, ita etiam precamur, vt omnis nostra fiducia, & à malè partis diuitijs, & à florentibus opibus abstrahatur, teque iustum, clementem, & inuictæ potentie semper esse ob oculos habeamus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXIII.

IN hac vita, Deus Opt. Max. vbi omnia ferè acerba, horrida, trucia experimur, te vnū suspiramus, cupimus atq; vehementer sitimus: singularem virtutem tuam ac eximium decus perspicuè vellemus contemplari, quandoquidem illa notitia nil beatius, nil iucundius, nil suauius mortalibus potest obuenire. Nobis per te liceat, cælestis pater, dum gratias agimus de collatis beneficijs, nomen tuum assidue prouehere, ac votis precibusq; flagrantissimis perpetuò abs

P R E C E S

te rogare, quæ cum ad tuam gloriam tum ad nostram salutem cōducant. Hæ planè mere delitiæ sunt piorum hominum, ibi solida ac vera letitia exaturatur animus, cum vel media nocte in ipso strato bonitatis tue non obliuiscitur. Sed obstant huic nostro bono culpa, in quas & infirmitas & ignorantia nos impulit, quas oramus, pro tua misericordia, deleas: sis nobis, ut cœpisti auxilio, protege alis tui fauoris, tibi que nostros animos perpetuò agglutines. Qui verò tue gloriæ, pertinaciter & obstinatè resistunt, in profundâ exitij voraginē precipites eant: nos verò tuo solatio ac auxilio æternum lætemur ac gloriemur, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXIII.

NI supino animo simus & omnino stupidi cælestis pater, excitamur quotidie ad te nostris precibus inuocandum: Sathã quippe et eius mali satellites nostrã perniciem diu noctuq; vrgent, & carnis impunitas assiduè nititur in mandatorũ tuorum trãsgressiones precipites nos agere. Cũ itaq; à dolosa lingua, fallacib. verbis, acutissimis stimu-

stimulis, & mortiferis iaculis vndique no-
 ster animus lancinetur, ac nostræ vires pror-
 sus deiectæ sint & langueant, ad te verum
 salutis portum confugimus, precamurque,
 vt cum intelligas ob peccata & culpas ad-
 missas nos malè & laboriosè diuexari, pro
 tua indulgentia remittas & ignoscas quic-
 quid labis & reatus adheret, atq; ita nos
 protegas & tuearis, vt omnia onera, qui-
 bus grauius premimur, in te reponamus.
 Sic iurè gaudebimus, neque nos pœnitebit,
 imò gloriabimur quod tuæ fidei nos totos
 commiserimus, per Iesum Christum domi-
 num nostrum Amen.

EX PSALMO LXV.

TO T ac tanta, Deus Opt. Max. sunt in
 omnes mortales tua benefacta, vt v-
 biq; ac ab vniuersis gloria, laus, & cele-
 britas tuo nomini debeatur: quid enim iu-
 cundius esse potest hominibus, quàm abs
 te facile audiri, cum pro suis necessitatibus
 te inuocant? Quo alio bono gaudere nos ma-
 gis oportet, atq; quod placatū propitiumq;
 te reddas nostris iniquitatibus? Curæ non

P R E C E S

sumus felices, quos in sacro cœtu tibi digna-
 ris adiungere, & spiritualibus bonis deli-
 cijsque cœlestibus exaturare? Omnibus pla-
 nè creaturis propter tuos electos benignè fa-
 cis, montes confirmas, placas maria, populo-
 rum tumultus componis, atque splendore cœ-
 lestium ignium recreas & illustras magna
 letitia colonos orbis. Das opportunas & tē-
 pestiuas pluias, quibus solum redditur pin-
 gue, agrique omni fructum genere conuesti-
 untur: vnde cum animalia tū homines affa-
 tim habent vnde vescantur Qui itaq; tan-
 torum bonorum es author, nobis et hoc tri-
 buas vt meritas agamus gratias, & que no-
 bis abs te dantur, salutariter vsurpemus,
 per Iesum Christum dominum nostrum
 Amen.

EX PSALMO LXVI.

EA est, Deus Opt. Max. tua potentia &
 n̄ uictum robur, vt hostes tui nominis
 & glorie, quantumuis aduersari tibi conen-
 tur furenti rabie, soleas tuo imperio demū
 subiugare: quod pij expēdētes apud se ipsos,
 te adorare, efferre laudibus, & fideliter co-
 ilere optatissimum habent. Vt enim filijs
 Israel

Israël quondam mare aperuisti, ac auertisti
 Iordanis undas à consueto fluxu, illorum-
 que hostes, qui alioquin videbantur indo-
 miti, ex auitis sedibus expulisti: Ita preca-
 mur ut modo pro charis tuis agere velis,
 celestibus donis floreant, non labantur exer-
 citio tentationum, sed aduersis casibus ex-
 plorati, excocti, ac depurgati splendore vir-
 tutum radiant, post afflictiones atque ani-
 mi æstus refrigeria sint illis abs te, qui geni-
 tor eorum es & creator, preparata, quo de-
 mum vota laudum & carminum celebra-
 tionem tibi exoluant. Agite queso illum ve-
 recamur atque colamus, commemorando
 quàm diligentissimè beneficia que nobis
 pro sua bonitate prestitit, ut nostra gratitu-
 dine prouocatus, preces in posterum beni-
 gnus faciliusque audiat, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXVII.

Que due res, omnipotens Deus, à mor-
 talibus vehementer optantur, vide-
 licet ut grati sint numini tuo,
 atque splendore & lumine tui vultus illu-
 strentur, eas nobis deficere propter admissa

P R E C E S

peccata experimur: precamur itaque ut medicina tue misericordiae curetur nostra vulnera, quaeque ipsi peccauimus tuus fauor ignoscat, ac tenebras, quas ipsi nobis conciliauimus tua iucundissima lux discutiat. Quam causam si obtinuerimus, facile agnosces si tenebris, consilia, instituta, & rationes quibus omnia regis, tueris, defendis atque conseruas, tuisque bonitate & fide infinita mirabiliter consulis. Quibus animaduersis & bene perspectis, cum vniuersis populis te celebrabimus: iucunda quoque perfundemur letitia, quod omnes nationes, prouincias & regna iudicio recto & exquisitissima equitate administres. Id si ab omnibus publicè, ut est, intelligeretur, ab omnibus publicè laudareris. Da itaque optime pater, ut haec duo impetremus, neque illis graueris adijcere felicem terrae prouentum: quoniam enim charis tuis magis benignè feceris, eò in omni orbis parte plus timeberis atque impensius coleris, per Iesum Christum dominum nostrum,

Amen.

EX PSALMO LXVIII.

Agoes omnium bonorum, cum salus tu
 etiam omnia commoda vitæ in nos dima-
 nant, tantisq; beneficijs tuos perpetuo or-
 nas & oneras, vt subducere illorum nume-
 rum sit impossibile: sed illud imprimis
 non videtur silendum, quod nostra bella ad-
 uersus peccatum, mortem, diabolum & om-
 nia mala ipse tam fœliciter & auspicato
 pugnaveris, ita vt capitales hostes nostræ
 salutis te presentem senserint cum vince-
 res, frangeres, & pœnas ab illis reposceres.
 Quare tibi deberemus assiduè gratias agere
 Psalmis, laudibus, pijs cantionibus, & om-
 ni genere carminum, quod ne malignè à no-
 bis fiat, sed animo vacuo atq; soluto carna-
 libus curis, precamur vt ignoscas quæ vel
 per ignorationis tenebras, vel imbecillita-
 tem animi commisimus: atq; posthac, vt hæ-
 tenus continenter fideles tuos defendisti,
 perge nos tueri à fraudibus & insidijs ad-
 uersariarū potestatum, quo & agnoscaris ab
 omnibus ita fauere credentibus, vt illis ro-
 bur & fortitudinem in superabilem assa-
 tum suppedites, per Iesum C. D. N. Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

CUM ea sit vis tua, Deus Opt. Max. ut
 nulli quantumuis potētes inimici ad
 uersum te valeāt subsistere, te rogamus pro
 tua misericordia, ut in nostrum auxiliū po-
 tentissimè surgas. Experti sunt filij Israel
 tuam praesentiam, quando erat illis cum ho-
 stibus confligendum, salutare sibi perpe-
 tuo fuisse, quamuis reges & exercitus in-
 structissimi aduersus illos concitarentur.
 Cum itaque in altum potentiam atque vir-
 tutem tuam extuleris, non dedigneris, ob-
 secramus, ad nos vultum tuum conuertere,
 qui assiduè cum Sathana & carne ac eius
 cupiditatibus colluctamur. Agnoscimus sa-
 nè tibi vni salutem esse ascribendam, ideo
 ad te qui fons & radix es omnis boni con-
 fugimus, precamurque ut à malis quae cir-
 cumstant, erepti, laudes, ut meritum est
 nomen tuum, enarremus, per Iesum Christū
 dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Tanta est vis tua atq; potentia Deū
 Opt. Max. ut cum te commoues atq;
 excitaris

excitatis, è vestigio dissipentur, atque a-
 gantur in fugam quicumq; tuum nomen tu-
 umq; regnum odio prosequuntur: quare neq;
 hoc tēpore dubitamus, vt dispellitur fumus
 & diffluit aura, vires esse dissoluēdas cum
 satanæ tum etiam membrorum eius, qui vt
 diq; tuos oppugnare non desinant. Atq; ideo
 fideles manet ingens voluptas & summa
 letitia, cuius & ipsi vt valeamus fieri com-
 potes, enixè precamur, vt sarcina peccato-
 rum, qua sumus grauitè onusti, releues, ti-
 bi concilies, & spiritu sancto largiter do-
 nes. Cum pater sis orphanorum & vindex
 eorum qui miserè opprimuntur, nos quoq;
 digneris ex compedibus iniquitatū nostra-
 rum asserere, neq; minus tueri, atq; filios Is-
 rael in deserto protexeris: sumus vt vides,
 peccatis plurimum deformati, adsit itaque
 splendor fauoris & gratiæ tuæ, quo nostri
 animi ad supremam felicitatem & illustrē-
 tur & reformentur, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Est tua sapientia Deus Opt. Max. vt
 quemadmodum ad seruādum tuos, ita

P R E C E S

etiam ad perdendum impios vias innume-
 ras & modos infinitos habeas. Quare dum
 tuos restituis, & à peccatis & à satana op-
 pressos, ac ex inimicis tuis amplas & illu-
 stres victorias reportas: quæ citra omnem
 controuersiam merentur, vt quotquot ad
 Israellem germanè ac legitimè pertinent,
 laudes tuas & triumphos ingenti cum la-
 titia celebrent. Rogamus itaq; te per tuam
 eximiam & insignem potentiam, vt que in
 nos munera salutis cœpisti conferre, succes-
 su fœlici in dies magis ac magis augeas, quo
 tibi, qui super cœlos nobili triumpho vehe-
 ris non brutorum animantium victimas, sed
 nos ipsos holocausta grata & inculcata of-
 feramus, quo & nobis & omnibus restatum
 relinquatur, tui vnus esse summam forti-
 tudinem & infinitam magnificèntiam, qui-
 bus electos ad optatam fœlicitatem addu-
 cis, per Iesum Christum dominum nostrum,
 Amen.

EX PSALMO LXIX.

Iactatur & agitatur, omnipotens Deus,
 imbecilla hominum natura quotidie infi-
 mitis calamitatibus: neque id videretur tan-
 to opere

topere dolendum, si in hac fortuna commu-
ni, qui te fideliter colunt non cateris gra-
uius afflictī & affecti conspicerentur: Ve-
rum ita se res habet, vndarum tempestas,
lutum tenax, profundi & vorticosi fluctus
tentationum, tibi credentes & fidentes tan-
tum non praefocant. Quae ipsi, quantum ad
suum commodum attinet, vt aequo animo
& patienter ferant, salutē certē infirmo-
rum, qui haec fieri vident non multum con-
sulitur, nisi tu pro bonitate & clementia,
qua es praeditus, citō subuenias, ita quod vi-
detur debilitatos animos consternasse, miri-
ficē recreabit. Quod si, vt confidimus nostras
audieris preces, nosque sicut petimus è tan-
tis periculis eripueris, profectō habebunt
hae tribulationes fructum non pœnitendum.
Des igitur quæsumus, optime pater, vt qui
tuae gloriæ zelo propè conficiuntur, abs te
impetrent, vt precantur, cum tui regni am-
plificationem, tum etiam eorum salu-
tem qui illud oppugnant, per Ie-
sum Christum dominum no-
strum, Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

EA, Deus Opt. Max. clementia & bonitas tua fuit erga homines, vt pro eorū salute, filium tuum dominum nostrum Iesum Christum sis passus extremis opprobrijs & summis contumelijs affici, ita vt etiam cum suprema hora vehementer sitiret, potum non ei porrexerint, nisi acidum & amarissimum. Nos ista si obliuiscamur, aut fide nos prorsus destitutos esse indicamus, aut odiosissime ingratitude reos facimus. Habemus ob oculos grauissimam vltionem quam de illis impijs tandem sumpsisti, qui in filium tuum dilectissimum tanto pere seuerunt, & exēplo non mouemur, vt nostris malefactis & vite prauitate abstinemus, quibus ille, quo plus nunc illustris est atq; sublimis, quam tunc fuerat, eò magis, quod ad nos attinet, iniurijs & opprobrijs afficitur. Oramus itaq; et obsecramus vt nobis, qui eius nomem & cultum profiteamur, mentem saniozen, & meliora studia digneris afflare, per eundem Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXX.

Incirco, Deus Opt. Max. nostris quotidiana-
 nis inuocationibus in tuam fidem miseri-
 cordiamque confugimus, quod nil videa-
 mus in hac vita aut periculis vacare, aut
 ab hostibus nostræ salutis tutum esse, per
 quorum malitiam, fallacias & crudelita-
 tem, omnia infesta, inimica atq; molestissi-
 ma experimur. Cumque nobis haud leuium
 culparum simus conscij, & sumi pœnas, à
 tua iustitia, de peccatis non ignoremus, pre-
 tamur, vt bonus es, quæ turpiter admisi-
 mus, abs te nobis ignosci, & quæ nobis vltio
 iure & merito deberetur, vel prorsus tolli,
 vel benignè atq; clemēter mitigari. Ita eris-
 bescent & pudefient, cum nos iuueris, qui-
 cunque tuo cultui, quem nos profitemur,
 aduersantur: è diuerso autem studiosi tui no-
 minis gaudebunt & letabuntur. Non ita-
 que auxilium ferre diutius cuncteris, ne
 impij, quod facere parati sunt, id nobis
 etiam atque etiam exprobrent,
 Per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

P R E C E S

EX PSALMO LXXI.

Quoniam perspectum nobis est, omnipotens Deus, in tuam protectionem confugientibus promptum atq; paratum subsidium perpetuo extare, ideo in te vno omnem nostram fiduciam collocamus, vt, à quo semper est auxilium implorandum, ad eundem nostra fides & spes cōtētissimè dirigatur. A prima etate iuvas, foves, & ornas eos qui te colunt, ita vt si quandoque videaris illos deserere, id ostento haberi soleat. Itaque confidimus cum nobis à conceptu & vtero semper adfueris, ne que decrepita senectute aut extremo tempore vitæ deserturum: vnde quas tibi debemus laudes & gratias, eas quotidie agimus, agemusq; , vt speramus eternum, cum tuorum meritorum in nos non sit numerus, quoq; plus tua bonitas & magnificentia celebratur, eo plus omnem vim laudum exuperare cognoscitur. Attamen ceteris beneficijs id quoq; adijcias obsecramus vt qui tuis aliquando acerba ostendis & aduersa, ipse idem & consolari & recreare digneris, per Christum dominū nostrū, Amē.

EX PSALMO LXXII.

Quandoquidē iustissimum sumus ha-
 bituri iudicē D. nostrū Iesum Chri-
 stum, par est vt illum perpetuo
 & timeamus & reuereamur. Nam is cum
 in presentia quoque à patre summam pote-
 statem habuerit, id maximè curat, vt iusti
 roborentur, eiusque cultum & instaurent
 & quàm latissimè promoueant. Rogamus
 itaque cœlestis pater, vt priusquam ad eius
 tribunal adducamur iudicandi, à peccatis,
 quibus obnoxij sumus redimamur, & ita
 regenerati illius spiritu bonis operibus ab-
 undemus, quo non simus ob malefacta con-
 demnandi. Quod si robusta firmaque fide nos
 consequutos esse perceperimus, nos verè
 beatos atque solidè fœlices ob id censebi-
 mus, atque tuum nomen gloriamque sum-
 mis laudibus effereamus & celebrabimus,
 quo si fieri posset, vniuersa terra tui
 cognitione impleatur, per Iesum
 Christum dominum nostrum,
 Amen.

P R E C E S

EX PSALMO LXXIII.

Quanquam, Deus Opt. Max. sit ingentis
 bonitas tua erga illos homines qui te
 iusta synceraq; pietate reueren-
 tur: attamē impiorum fœlicitas, vt est, im-
 becillitas humana, sapius oculos electorum
 tuorum perstringit. Dum enim illis cernunt
 omnia prosperè & ad votum succedere, qui
 omnia iura tam humana quàm diuina con-
 temnunt, & eò prolapsi sunt impietatis, vt
 iam nostra te non curare, & cogitent & im-
 pudentissimè proferant: Fac obsecramus ne
 pedes nostræ fidei nutent, ipse manum casui
 nostro supponas, atque ita os & cogitatio-
 nes reprimas, ne putare incipiamus vanum
 & inutile studium te colendi. Robora vt pa-
 tienter et Christiana tolerantia expectemus
 exitum atque successum extremum rerum.
 Tum, cum prodibit summum iudicium tu-
 um, apparebit quanta iustitia res omnes ad-
 ministres. Interim etiam concedas, vt nul-
 lo alio desyderio magis teneamur, quàm vt
 indissolubili nexu tibi animi nostri adhe-
 reant atque iungantur, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXIII.

SI contigerit, omnipotens Deus, quod sæpe fieri non dubitamus, ut nostris peccatis, que subinde admittimus, iram tuam in nos prouocemus, grauiaque flagella quibus corripiamur, accersamus: Tu, quaeso, sis memor tuæ bonitatis & promissionum, quas nosti iam nos fide apprehendisse, neq; in potestatem aduersariorum nostræ salutis tuæque gloriæ tradas animas nostras. Quandoquidem illi aliud non adnituntur, nisi ut opera tua vel demoliantur, vel inania reddant, & salutem humani generis, quã tanta misericordia procuras, frustrentur, eorumq; conatus vniuersi tandem eò spectant, ut nomen tuum blasphemetur atque pessimè audiat. Memineris obsecramus quæ hactenus in nos bona contuleris, neque destas, opus, quod iam in nobis cœpisti, redemptionis absolueres. Exurge Deus & adsis te inuocantibus, ne impiorum consilia vel aduersus gloriam tuam, vel aduersus salutem nostram successum habeant, per Iesum Christum dominum nostrum,

Amen.

K 5

P R E C E S

EX PSALMO LXXV.

Cupimus, Deus omnipotens, nomen
 tuum & mirabilia tua celebrare: quod
 ut fiat, pro viribus te oramus, ut populum
 tuum ab his atrocissimis periculis defen-
 das, ne pereat. Remoueas, quesumus, à con-
 spectu tuo peccata nostra, neq; nobis id po-
 tissimum imputes, quod cum ad te vocaueris,
 ac rationem veræ pietatis proposueris
 & liberum cuiq; nostrum feceris, ut ex ver-
 bo tuo & Christiana professione viere-
 mus, ipsi non solum frigidè nos gessimus,
 verum ingratisimi disciplinam, & vitam
 dignam illa fide qua abs te donati sumus, ab-
 iecimus. Ne itaq; respicias quantum pecca-
 uimus, quantum mereamur, aut quantum
 iustitia tua possit à nobis iure exigere: Sed
 filij tui dilectissimi Iesu Christi domini no-
 stri fauore sis nobis propitius, teque pro no-
 bis opponas vehementissimis ac potentissi-
 mis hostibus, cum opportunum visum fue-
 rit quod equum & iustum est aduersus il-
 los indices. Terra & vniuersus orbis abs
 te fulcitur, tibi vniuersæ innituntur crea-
 turæ: vnde si pro nobis steteris, nil poterit
 addeò

adeò se opponere, quin salui simus. Stolidi
 & impij Antichristi non solum cornua sua
 extulerunt, sed in nos mirabiliter insaniunt,
 & furiant: contra te verò infandas loquun-
 tur blasphemias, & præfractò collo omne ius-
 gum verbi tui à se repellunt. Auxilium no-
 bis, ò Deus, neq; ab oriente neq; ab occiden-
 te, aut vlla orbis regione, quod firmum sit,
 ostenditur: solus tu, oportet, vt nobis sis iu-
 dex, cui est arbitrium extollendi ac depri-
 mendi quandocunque volueris. Quandoqui-
 dem habes in manu tua calicem, exugāt illi
 & ebibant eius feces, quibus ita sopiantur,
 vt Ecclesiæ tuæ vltra non facessant nego-
 cium, Tunc æternum te annuntiabimus, et
 nomini tuo psallemus cum impiorum cor-
 nua confraçta iacuerint, & iustis contige-
 rit vt in te pacificè acquiescant, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Idcirco te, omnipotens Deus, & celebra-
 re & efferre decreuimus, quod inuocātib.
 ex fidei sinceritate semper adsis, tu aq; præ-
 sentiam insigniū donorū collatione indices.
 Gratias tibi propterea imprimis agimus,
 quod sis dignatus ex hoc nostro numero tibi

P R E C E S

*Ecclesiã deligere, in qua cum par sit ut re-
 gnes ac tuam declare s potentiam, summo-
 pere te oramus, ut ibi prostiges impietate,
 vicissimque innocentiam atque religionem
 adferas. Quicquid in nobis terrenũ est man-
 di & carnis, protinus diffluat, & confirmẽ-
 tur quaecunque tu cœlesti spiritu in regene-
 ratione contulisti. Iustos & electos tuos in-
 star columnarum firmissimarum constabi-
 lias: nutent verò & cadant qui sunt de ter-
 ra, & nomini tuo atque doctrine relictan-
 tur. Cures, precamur, optime pater, ut desi-
 nant aliquando stulti desipere, cessentq; im-
 probi tandem abuti suis viribus, quas vi-
 dentur contra pietatem & sanctum Euan-
 gelium tuum instruere: cedant eorum duri
 sermones, ferocia conuitia, & rebelles blas-
 phemiæ. Neque respicias hinc ò Deus, quid
 peccata nostra commereantur, quæ grania
 esse, neque nos latet, neque diffitemur, tu es
 pro misericordia tua deleas, ne cogamur
 propter illa siccare poculũ amarissime ira-
 tuæ. Bibant, imo exprimant omnes feces e-
 ius quotquot improbitati student, quo Ec-
 clesiã iudicia tua perpetuo cõmemorer atq;
 assiduus laudibus efferat, cũ viderit fracta
 impio-*

impiorum cornua, & illos conseruatos atq;
 erectos qui iustitiæ & pietati sese totos ad-
 dixerunt, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

EX PSALMO LXXVI.

Placuit, omnipotēs Deus, bonitati tuæ
 nullis nostris id exigentibus meritis,
 vt nobis verbum tuum innotesceret, ac in
 medio nostri sanctum Euangelium filij tui
 predicaretur. Quod vt singulare & præcla-
 rum cognoscimus esse beneficium, ita eo nos
 vehementer premi nostro vitio animaduer-
 timus. Turpissima quippe citra contro-
 uersā erga te vsi sumus ingratitude, qui
 ex ueritate uerbi tui ac doctrine tuæ mini-
 mē vixerimus. Attamen cum nostrarū ini-
 quitatum nos pœniteat, & errata cupia-
 mus emendare, te oramus, vt lapsis auxilie-
 ris, des manum te inuocantibus, nobisque
 ignoscas, quos te offendisse, acriter pœnitet.
 Et quoniam iuxta promissiones nos taber-
 naculum & habitatio tua sumus, aduer-
 sus quam impia castra se mouerunt, vt eam
 funditus ac radicitus euertant: tu eorum ia-
 cula & arcus effringas, scutum, gladios &

P R E C E

arma dificias . Hoc tu nullo negotio facere
 vales, quandoquidem vis tua illustrior est
 & magnificentior omni mortali tyranni-
 de . Ergo ipsa deprædetur & exspoliet eos:
 ab increpatione tua & peditatus & equi-
 tatus eorum consopiatur. Cumque somnum
 suum dormierint, qui adeo superbe innitan-
 tur suo robori, in inueniant in manibus
 suis quod eos aut iuuet aut delectet. Nos qui
 dem scimus te esse terribilem, & coram te
 posse stare neminẽ, cum tua ira succensa fue-
 rit. *Quamobrem* rogamus vt exurgas & ser-
 ues mansuetum populum tuum. Is furor ho-
 stium, cum abs te debellatus fuerit, cedit in
 laudem tuam. Cum igitur spiritum & fero-
 citatem principum tu possis cohibere, ne
 patiaris vt illi succumbamus: imò ita nobis
 adsis, quo parata victoria, vota, que tibi de-
 bemus, alacri animo & promptissima vo-
 luntate exoluamus, Per I. C. D. N. Amen.

E X E O D E M.

IN Ecclesia tua, omnipotens Deus, cū domi-
 cilium & mansionem tibi delegeris, idcir-
 co in ea agnosceris, ibiq; nomen tuum pre-
 clarissimè illustratur, quod ab ea quàm se-
 pissimè remoueris iacula, arcus, gladium,
 clype-

elypeum, ac omnia tormenta bellica & machinas militares, quas contra eam extruebant inimicituæ doctrinæ et hostes religionis abs te constitutæ: ibi, inquã, tu fuisti, hac de causa semper illustris atq; suspiciendus præ omnibus prædonib. ac tyrånis huius mundi: Quamobrẽ te oramus, ne propter peccata nostra dimouearis à tam laudabili celebriq; cõsuetudine tuæ maiestatis. Quod si, vt probè cõmeriti sumus ecclesiæ aliquãtisper afflicta est & malè diuexata, tu propter gloriã nominis tui, robustos aduersarios eius, imò tuos, instar dormientiũ reddas infirmos ita vt si velint abuti suis virib. eos deficiãt, efficiãturq; inutiles, tua increpatione illorũ peditatus & equitatus. Scimus, ò Deus, te vnicũ esse formidabilẽ, ita vt iracundiã tuã nemo ferre valeat. Surgas itaq; ad iudicãdã Ecclesiæ causam, vt tua ope mansueti ciues eius conferuentur, tibiq; ipsi in laudem cedat, quicquid hostes indignati aut moliti fuerint aduersus eam. Fac, ò Deus, vt quas tibi vouemus gratiarum actiones pro tanto beneficio, cum te agnouerimus formidari ab omnibus regibus terræ, & spirituum abstulisse principum huius mudi, summã alacritate & cordis exultatione persol-

P R E C E S

namus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXVII.

A Nimo & voce, omnipotens Deus, ad te clamamus, ea planè fiducia, ut cū tu sis Deus noster, in his nostris necessitatibus abs te audiamur: pœnitentia & inuocatione te inquirimus dum angustijs & afflictionibus vndique premimur, neq; alia supeditatur firma ac solida consolatio. Dum enim vexatum animum & inquietum cor habemus, quid aliud super est præterquam ut tristitia & mœrore affecti, cōqueramur tecum. Urgent nos imprimis peccata nostra, quibus & offensum te scimus, & conscientiam ipsi experimur ac sentimus lesam. Quamobrem miserè afflicatur animus noster, timore & dolore absorbemur, omnisq; nostra vis diffluit. Ad te vigilant oculi nostri, concussa mente ac deiecto corde tuam misericordiam imploramus. Ah, Deus optime pater, num ob scelera nostra æternum te à nobis subduces? desistēsne te ipsum nobis & clementem & benignum exhibere? Es quidem natura patiens ac longaminis: qua-
te

ve misericordia & pietas tua, quæ infinita
 est, non se nobis subtrahat. Tuque, ô Deus,
 qui pater es misericordiae, ne obliuiscaris
 misereri. Meriti quidem sumus iram tuam
 ob perditam vitam nostram: verum tu il-
 lam immutare, & ignoscere peccatis nostris
 excelsa dextera tua facile potes, teque id
 facturum confidimus, dum opera tua in mē
 tem reuocamus. Consueuisti mira facere li-
 berando tuos: ergo & modo fortitudinem
 tuam exeras contra impium populum, qui
 nos gregem tuum & dolis fraudulentis &
 bellica ferocitate inuaserunt. Agas contra
 illos pro more tuo antiquo: scimus quàm po-
 tenter redemeris Israellem ab Aegyptijs.
 Aquæ abyssi, nubes, tonitrua, fulmina &
 omnes creaturae, iussu tuo, illorum salutem
 promouerunt: ita vt populum tuum veluti
 oues eduxeris per Moſen & Aaron quò vo-
 lebas. Sic, Deus optime pater, exercitibus
 tuis adſis, vt seruati ab hostibus, ad te fæli-
 citatem & spem nostram, fide & pura vita
 pertrahamur, per Iesum Christum
 dominum nostrum,
 Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

NOS te difficillimis his temporibus, omnipotens Deus, perpetuo respicimus, te quotidianis precibus ac ardentissimis uotis fatigamus, atq; ad te, dum in tanto periculo versatur Ecclesia, tanquam ad unicum salutem nostram, confugimus. Neque parum crescit tristitia, & augetur luctus, dum in memoriam antea facta tempora redeunt, quibus poterat secura mens & securus animus, cum tue doctrinae, tum laudibus tui nominis tranquillè atq; pacatè incumbere. Sed quia tantæ securitatis & altissimæ quietis dono vehementer abusi sumus, idcirco æquum & iustum fuit, ut manum tue seueritatis atq; iustitiæ experiremur. Nunc autem oramus optime pater, ut quicquid in te peccauimus nobis remittas, cumq; fieri nequeat ut obliuiscaris misericordiarum tuarum, ne repellas nos in perpetuum. Et quia promissiones tuas locum tandem habere oportet, non auferatur à nobis misericordia tua. Sumus iam probè memores antiquorum facinorum, quæ ad liberandos ex Aegypto Israelitas edidisti: statim ut conspexerunt a te in mari potentiam tuam, expa-

uerunt, suntq; admirandis modis exagitate. Dimicasti contra impios obscuris nubibus, tonitruis, fulminibus, ventis ac tetra tempestate. Quemadmodum itaque populū Israel tunc eripuisti, ita modo Ecclesiam liberares à furore satanæ, & membrorum eius hostili conatu, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

VT afflictionibus, Deus Opt. Max. gra uiter premimur, ita consueuimus ardentioribus precibus te accedere: proinde cum modo sentiamus, ac indies magis magisq; experiamur Ecclesiam miseris modis torqueri & diuexari, clementiā tuam ora tum venimus, vt illi esse digneris auxilio, iuxta ac sub ipsis eius initijs frequētissimè fuisti. Profecto cū integerrima tua natura, tum summa cōstantia, qua es præditus, non patiuntur, vt cum semper in eos, quos charos habes. fueris beneuolus, nunc ab illis & colligere velis & subtrahere tuam bonitatem. Quamobrē erga nos, quaesumus, antiquū retineas, nec secus atq; olim tuā inuictā potentiam in asserendis Israelitis ab Aegy-

P R E C E S .

ptiaca seruitute declarasti, nunc eandem ex-
 xeras, ad Ecclesiam erigendam, fouendam
 atque instaurandam: ut quanto est tibi ma-
 xima cura, tanto appareat à diabolo, pecca-
 tis & morte potentissimè vindicata, per Je-
 sum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXVIII.

CVM nobis, omnipotens Deus, diligen-
 tissimè tradita sint in sacris literis
 quæ abs te magnificè gesta sunt, dum in li-
 bertatem assereres in Aegypto filios tuos,
 ijdemque nouerimus quæ diuinis verbis cõ-
 signata sunt, omnia ad nostram consolatio-
 nem plurimum facere, nunc te vehemen-
 ter oramus, ut his aduersis casibus, illa spiri-
 tu tuo nobis assiduè in memoriam reuocet,
 quo his permoti, fiduciam nostram in te ve-
 no collocemus. Eduxisti filios Israel ex Ae-
 gypto horrendis prodigijs contra Pharaonem
 editis: cecidit mare, nubes protegebat,
 ignis egit ducẽ itineris, dedit petra aquas,
 cælum & man & carnes: mons verò Sina
 te illis videndum præbuit, cum dignatus es
 illis per Moysen legem ferre. Qui ergo in il-
 los tot & tanta egisti, ne deseras nos, ita ut
 à dia-

à diabolo & Antichristo dispergatur oves gregis tui. Peccauimus quidem in te, idque & sepius & grauius, verum & illi non semel in deserto rebelles tibi fuerunt, & obloquuti sunt, cū minus, quàm par fuerit, verbis tuis crediderint: ibi tu eos acriter castigabas, nec tamen patiebaris deleri hereditatem tuam, probe memor eras carnem illos esse & futilem spiritum. Quare ita misericordia tangebaris vt succurreres laborantibus. Oramus ergo te, ô Deus, vt Ecclesie tuæ in præsentia non secus facias, illam non minus atque illos post aliquot flagella eripias ac defendas, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Agnosimus, Deus Opt. Max. summam generis humani ingratitude: patet illa quidem in nostris actionibus, verum tum facile se ipsum quisque ignoret, longè apertior declaratur in veterum patrum rebus gestis, quæ in sacris literis nobis fidelissimè commemorantur. Audimus Israelitas tantis prodigijs assertos abs te dum illos ex Aegypto educeres, in deserto gubernatos,

P R E C E S

defensos, ac educatos eo studio ac diligentia,
 vt nulla maior vel fingi vel cogitari possit.
 Illi tamen iidem narrantur vsq; adeo ingra-
 ti atq; immemores beneficiorum, vt Deo s-
 ctori, liberatori, & duci suo perpetuo obire
 starent. Cui certè vitio nunquam non fue-
 runt obnoxij. Te itaq; rogamus, optime pa-
 ter, vt cum nos ex tua misericordia elegeris,
 summisq; tue gratie cohonestaueris or-
 namentis, nunquam nos patiaris eorum ob-
 liuisci, sed potius tuo spiritu omni momen-
 to incites, ad eas tibi reddēdas gratias qui-
 bus & ipse celebreris, & nos ad benè vi-
 uendum maximè extimulemur, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Ad mirandis prodigijs, Deus Op. Max.
 præter id quod patres in veteri lege
 dignatus es frequentissimè tueri atque de-
 fendere, illa eadem præcepisti tum vtiliter
 narrare posteris, tum scriptis ad eternam
 memoriam consignari, vt qui hæc fide per-
 ceperint, quàm sunt bonitatem tuam in ve-
 teres demiraturi, tam firmam spem concipi-
 ant, te quoque erga se non minus clemen-
 tem.

tem, fidelem atque benignum fore. Si ubi
 verò inspexerint iustitiæ tuæ seueritate il-
 los fuisse castigatos, ibi quoque semetipsos
 admoneant, neque sibi parcendum esse, cum
 te suis iniquitatibus irritare perrexerint.
 Obsecramus itaque cœlestis pater, vt ista no-
 bis cum fructu narrentur. Sumus quidem,
 vt illi ab Aegypto, nos quoque tuo fauore
 ab æterno exitio liberati. Caterum id nobis
 concedi etiam atque etiam optamus, ne iux-
 ta ac illi in deserto quiritabantur de tua bo-
 nitate, ita nos cupiditatibus instigati, ad no-
 stram perniciem tuam iracundiam excite-
 mus, per Iesum Christum dominum nostrum,
 Amen.

EX EODEM.

VT noxia sit cupiditas malarum vo-
 luptatum, Deus Opt. Max. probè in-
 telligere possumus, vel quod illis, ad quere-
 las contra te, qui summè bonus es, iactandas,
 incitemur, vel quod ipsis pro desiderio po-
 titi, in seuerissima iustitiæ tuæ supplicia im-
 pingimus. Quæ omnia filiis Israel in deserto
 cõrigisse à spiritu Sãcto nũc opportunè cõmo-
 nemur. Quamobrẽ alieno periculo instructi

P R E C E S

sanè quàm solliciti efficimur, ne pari sorte et
 similib. casibus inuoluamur. Idcirco te quaerimus
 nostras preces audias, quibus obsecramus ut simus
 perpetua benè memores tui, neque vnquam in mētem
 veniat, corde aut sermonibus, te, qui summa es
 veritas, fallere. Quod si quando per infirmitatem
 labamur, te nostri misereat, qui noueris nos tum
 carnem esse imbecillam, tum spiritum debilissimum,
 atque ita pro tua clementia inducaris partim ad
 nos iam lapsos erigendos, partim verd ad confirmandos,
 ne in æternum exitiū detrudamur, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXIX.

Elegisti nos, Omnipotēs Deus, ut simus
 hereditas tua, & proculdubio nihil in
 termisisti, quod ad nos instituendos, ornandos,
 & beatos faciendos conduceret: dedisti
 scripturarum sanctarum notitiam, Euangelij
 prædicationem, Sacramentorum administrationem,
 ac alia innumera, quæ ad hanc tuam
 hereditatem excolendam conferunt. Sed
 proh ô dolor, nos his omnibus præstantis-
 simis ac singularissimis donis ingrati, nō
 bil

bil prestitimus quod requirebatur. Quare
 non immerito sunt concitate impie gentes
 per iram tuam, vt Ecclesiam inuadant, vt
 sanguinem populi & hereditatis tue vt a-
 quam effundant, nosq; obprobrio & derisio-
 ni habeant: quodque magis dolendum est,
 haud in nobis nostra peccata, sed te ipsum,
 sanctum Euangelium tuum, & puriorem
 cultum atque religionē persequuntur. Qua-
 re te oramus Deus optime pater, vt contra
 oves pascuę tuę ne aeternum irascaris. Hanc
 iram tuam in nos propter peccata nostra in-
 flammatam, effundas in gentes quę te non
 cognouerunt: Ecclesiam verò tuam ne si-
 nas ab impijs deuorari. Obsecramus te per
 misericordiam tuam, per dilectissimi filij
 tui Domini nostri intercessionem, vt nõ am-
 plius recorderis veterum iniquitatũ nostra-
 rum. Cumq; in te vno posita sit nostra salus
 adiuues & Liberes ad te clamātes, vel pro-
 pter gloriã nominis tui. Esto propitius pec-
 catis nostris, cetero qui dicent impij te ab-
 iecisse causam tuam. Ne depellas à conspe-
 ctu tuo gemitus & lachrymas afflictorum,
 ignoscas nobis quę in te peccauimus, et vim
 tui auxiliij super nos digneris ostēdere, quo

P R E C E S

*Hereditas tua, populus tuus, oues pascuæ
tua perpetuo confiteamur tibi, & in omni-
nes generationes celebremus laudes tuas,
per Iesum Christum dominum nostrum
Amen.*

EX E O D E M.

Admiranda tuæ seueritatis exempla,
omnipotens Deus, qua regnum Israe-
litarum euertisti, ac tibi rebellem populum
caedibus, rapinis, prædæ, incendijs, captiui-
tati et omni ærumnarum genere incoluisti,
sint nobis precamur salutaris admonitio, ut
pœnitentiam alacri animo capessamus, at-
que per illam à grauibus eripiamur pœniis,
quas ob innumera peccata commeriti su-
mus. Conuenit quippe ut sanctissimi nomi-
nis tui rationem habeas: nam si effuderis in
nos iram tuam, putaberis ab impijs, non vo-
luisse illis, qui te colunt & te implorant,
opem ferre. Consueuerunt si quid aduersi
aut calamitatis Ecclesiam tuam presserit,
illico ei petulanter insultare, dicuntq;: *Vbi
nam in præsentia est Deus eorum? quid illis
prodest sua religio? Vnde in te, in tuam do-
ctrinam, atque in sanctum Euangelium hæc
gentes*

genus contumeliae redundat. Quare precamur, ut ouium pascuae tuae memor nos ita defendas & tuearis, ut laudes tuas & vbi que annuntiemus ac perpetuo praedicemus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXX.

Consueuisti semper haecenus, omnipotens Deus, ut pastor adesse populo tuo, illumque instar ouium tuis auspicijs deduce re: nunc te oramus ut in tantis periculis tua potentia excitetur & resplendeat nobis facies tua. Exurgas ipse & venias ad nos feruandos. Propter iniquitates nostras & peccata quae grauissima in te commisimus, agnoscimus & fatemur haud immerito te in nos excanduisse, tuaque iustitia factum, ut haec ingentia mala, quibus modo premitur Ecclesia, eam inuaderent: at modo cum nos vehementer poeniteat omnium quae in te peccauimus, tuamque imploremus clementiam atque misericordiam, quousque nobis irasceris? quousque feres contentionem, opprobria & contumelias, quibus impij pernitissimi te in nobis afficiunt? Conuerte ad

P R E C E S

nos, optime pater, hoc graui tempore placidum ac serenum vultum bonitatis tuae, memor insignium beneficiorum quibus aedificasti Ecclesiam, illam fouisti, ornasti, & excoluisti perpetuò amplissimis donis tui spiritus: ne illam modo, quaesumus, dissipandam tradas efferae impijs & crudelissimis Antichristis, ne patiaris vt tam delicta & electa vinea, quam tua excelsa & potentissima dextera plantauisti & auxisti, turpiter & miserè succidatur, inflammetur atque eradicetur. Intuearis ac respicias è caelo ad te clamantes: ab increpatione irati vultus tui pereant impij, qui nomē tuū, Euangelium tuum, & sanctum cultum tuum, per nos tibi exhibitum perpetuo blasphemant. Nos verò, qui sumus opus dexterae tuae, salutem & auxilium abs te sentiamus, dum nomen tuum inuocamus, ita viuifices atque corroboret, vt abs te nunquam deficiamus, verum semper luce ac splendore faciei tuae in omnibus nostris actionibus dirigamur, per Iesum Christum dominum nostrum,

Amen.

EX EODEM.

Dignatus es, omnipotens Deus, pro tua
 misericordia & esse & appellari tuo
 ram fidelium pastor : à tuo itaque sublimi
 throno, in quo super Cherubim & vniuer-
 sas caelestes virtutes resides, excita, preca-
 mur, tuam vim & salutarem potestatem,
 ut ea seruemur. Quique videris interdum
 irasci tuis & eos ludibrio & subsannatio-
 ni impiorum quodammodo exponere, iam
 tandem ad illos faciē gratiæ ac fauoris tui
 conuertas: & Ecclesiam, quæ vinea est, abs
 te culta, & admirabili prouidentia planta
 ta, ne sinas à fera impietate conculcari &
 deuastari, eam quæsumus restitue, atq; in-
 staurata, ut quæ in ea suffossione hypocri-
 seos depressa sunt, eruas, & quæ tyrannidis
 incendio sublata sunt, reponas, & mutila
 atque manca denuo integra facias: sit prom-
 pta parataque manus tua ad nostram pro-
 rectionem, quo viuificati abs te nomen tuū
 inuocemus, & illustrati aspectu clementiæ
 tuæ, sospites & salui tibi vni viuamus, per
 Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

P R E C E S

EX PSALMO LXXXI.

NON habemus leuem causam Deum
 Opt. Max. vt cum letitia & alacrita
 te animi tuas laudes celebremus, quãdoqui
 dem tua bonitate nos à peccatorum seruitu
 te & diaboli tyrannide eximis. Cum itaq;
 te Deum nostrum fateamur, hoc nobis pre-
 camur, digneris elargiri, vt vnum te audia
 mus, te vnum adoremus, neque tibi quip-
 piam vel æquemus vel præferamus. Nam
 id quandoque facere ausi, non leues aut vul-
 gares pœnas dedimus, quia nobis ipsis reli-
 èti, abs te, qui verus Deus es, nostris præuis
 desyderijs paruimus, & miseris cupiditati
 bus obsequuti sumus, qua peste iam senti-
 mus nil posse hominibus accidere calamito
 sius: vnde adducimur vt etiam atque etiam
 petamus te audire, & in vijs tuis posthac
 ambulare, quo impetrato, certò scimus te
 promissis staturum, vt nostræ salutis inimi-
 cos compefcas, nosque tandem suauissimis
 ac ineffabilibus delicijs æternum, exatures
 per Iesum Christum dominum

nostrum, A-

men.

EX

EX EODEM.

QVI tibi debebamus, omnipotēs De-
 us, pro summis beneficijs & gratias
 & laudes omni conatu persolue-
 re. ita vt nomen tuum nedum voce, sed eti-
 am musicis instrumentis celebraremus, con-
 tigit, exigentibus nostris malis meritis, vt
 Ecclesiam versari cernamus in extremis pe-
 riculis: Vnde coram te peccata nostra & cō-
 fiteri & deslere cogimur. A tyrannica ser-
 uitate Antichristi nos diu pro tua bonitate
 voluisti liberos esse: sed nos miseri libertate
 ac tranquillitatis beneficio fœdissimè abusi
 sumus. Non semel nobis, quemadmodum Is-
 raelitis, es contestatus cum per sacras lite-
 ras, cum per ministros verbi tui: Audi me
 populi mi, & verè me agnosces Deum tuū,
 non, inquam, verbis tantum, sed animo, re-
 ipsa atque sincero cultu: Nos verò, proh ô
 dolor, à verbis tuis cor nostrum auertimus,
 vnde peccata nostra satis superque perpe-
 tuò sunt aucta, & hostes Ecclesie, qui abs-
 te, si tibi credidissemus, proculdubio fuis-
 sent deiecti, sunt nobis in præsentia terrori:
 quique suauissimis donis tuis pacatè atque
 securè

P R E C E S

securè frui poteramus, nunc maioribus affli-
 ctionibus singulo quoque die percellimur.
 Sed rogamus pro singulari tua clemētia, ne
 deseras Ecclesiam tam miseris modis diue-
 ratam. Illi demum velis adesse, vt cultum
 & doctrinam abs te illi traditam perpetuo
 conseruare ac retinere valeat, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXII.

TV A est, Deus Opt. Max. omnium re-
 gnorum ac terrenarum potestatum
 administratio, à quibus nec iustitia nec æ-
 quitas populis distribuetur nisi tuo spirita
 ipse illas regas & instituas. Quamobrem te
 oramus, vt mortalium rebus satis super-
 que afflictis digneris opem ferre, bonos prin-
 cipes cum augendo tum conseruando: pra-
 uos autem & violentos corripiendo, quo
 pauperum iudicia non negligentur, liberentur
 oppressi, & pietas cum primis vigeat
 & promoueat. Vtque nostros magistra-
 tus, principes & regem dignatus es tuo di-
 uino illustrare nomine, ita etiā quaesumus,
 vt bonus es, id efficias, vt eorū opera ac mi-
 nisterio, fideles te, dum hic viuunt, purè co-
 laut

lant & sanctè viuant, quò vnà cum illis ad te qui rex regum es, & Dominus dominantium, perducatur, vbi eternis bonis & summa felicitate simul perfruantur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Confitemur omnipotēs Deus, populum tuum qui tibi parere neglexerit, cogē sepius iniquis potestatib. & infidelib. principibus subijci, neque est quod conquerramur propterea nobis iniuriam fieri. Nam in te adeò grauiter & obstinatè peccauimus, vt non modo hæc, verum etiam grauiora supplicia simus cōmeriti. Nihilominus verbis & promissionibus tuis cōfisi te vehemēter etiam atq; etiā oramus, vt ecclesie tue bis difficilimis temporibus velis adesse. Quique superiores potestates ac magistratus deorum nomine ac titulo dignatus es insignire, in eorum senatu velis præsidere tua iustitia, & inter eos iudicem agere, ne relinquitur libidini et prauitati, quibus alioquin vitata hominum natura laborat, iniquè affligant ecclesiam, atque impietati deferant que non decet. Tu optime pater, si, vt precor

P R E C E S

mur, illis in administratione publica te admiscueris, non dubitamus tuis auspicijs vindicandos pauperes, pupillos, afflictos & oppressos è grauisimis & summis periculis liberatum iri. Ne tradas quæsumus ecclesiam tuam eorum potestati qui versantur in tenebris, cumque nihil intelligant sui muneris, omnia æqua iusta & pia conantur euertere. Ipsi cum abs te sint eo prouecti vt didicantur & filij excelsi, quando id non sentiunt merentur instar hominum vilissimorum abijci & interire. Tua est hereditas & Deus ecclesia, quam obrem ad sis illi, tuque ipsa causam eius indicandam suscipias, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXIII.

A Deo quotidie augentur, omnipotens Deus, odia, copie, fraudes & perniciofa consilia hostium nostræ salutis, vt ad te assidue clamare compellamur. Nil aliud spectat omnis eorum conatus, quàm vt abs te auellamur, nec vllus amplius inueniatur qui vel tibi fidat, vel nomen tuum castè preceque, vt conuenit, inuocet. Atque cum his tenebrarum rectoribus conspirarunt aduer
 sit

sua Ecclesiam tuam caro nostra, sensus, impij homines, & demum quicquid est terrenarum mundanarumque affectionum & saculatum contra illam sese extulerunt. Quã obrem te precamur ne sileas, ne taceas, ne quiescas: quique pro salute Israelitarum Aegyptios, Madianitas, Cananaeos, Palestinos antiquitus oppressisti: ita hodie illos eripias qui se tuæ fidei præsidioque totos crediderunt, quorumque vis, potentia, & salus in te vno absconditur. Et compefcas hostium nostrorum, imò tuorum audaciam, quo omnes intelligant te vnum esse Deum, quem reiectis omnibus superstitionibus sanctè colere, & purè inuocare debeant, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX P S A L M O L X X X I I I I.

QUA tenebantur cupiditate veteres, omnipotens Deus, accedendi ad locum in quo tabernaculum pro eo tẽpore tibi decreueras: eadem nos quoque accendimur vt Ecclesiam videamus instantam, vt quæ detur cœtus habere piorum legitime coactos ad tuas laudes promouendas.

P R E C E S

doctrinam sacram audiendam & Sacramenta ritè percipiēda. Quapropter oramus te, ô rex noster & Deus noster, vt ibi tandem nos esse quandoque gaudeamus: nam quicquid in hac vita potest hic felicitatis esse, in sacris piorum cœtibus contingere nō dubitamus. Audias itaque preces nostras, optime pater, & da vt domum tuam nō aliter habeamus atque tu esse volueris: in quā nobis erit beatius vel vna die conuenire semelque habitare, quàm si longissimo spacio temporis in confessu impiorum aut non legitime coactō moraremur, adiectis concessisq; omnibus huius mundi delicijs. Ideò cum nostra sis lux, nostraq; munitio, ita nos in terris ad tui gloriam conuenire facias, vt spes augeatur tandem ad te perueniendi in eterna cœlorum tabernacula, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO LXXXV.

Propter misericordiam tuam gloriosissimam atque magnificentissimam, omnipotens Deus, erga Ecclesiam tuam benignum te exhibeas, quo ab horribili seruitute peccatorum liberemur: fuimus hætenus
sarni

carnis mancipia, & diaboli miserabiliter
 captiui, tuque dignatus es omnes iniquita-
 tes nobis remittere, & omnia peccata no-
 stra operire. Quare & modo, licet ingrati si-
 mus, ac tuis beneficijs indigni, sustineas ora-
 mus iram indignationis tuæ. Es quidem in-
 nos iuste commotus, sed ob tui nominis glo-
 riam hunc furorẽ excitatum in peccata no-
 stra, reprimi patiaris, nosq; reducat in vi-
 am salutarem, cum tuæ pietatis non sit, vt
 in tuos in æternum irascaris, aut vt indi-
 gnationem & iram tuam extendas in com-
 plures generationes. More tuo & non meri-
 tis nostris agas nobiscum, dissipes ac dissi-
 cias hostes, quos, irritatus nostra culpa, vo-
 luisti vt experiremur. Tu qui iratus occi-
 dis, placatus viuificas, Misericordiam & sa-
 lutem ostendas, qui ad nos terrendos & ca-
 stigandos proposuisti exitium. Qui tibi re-
 belles & contumaces fuimus, fac vt post-
 hac obedientes his auscultemus quæ nobis
 loqueris & præcipis. Misericordia tua &
 veritas in nobis iungantur simul, pax & in-
 stitia indissolubili nexu cordibus nostris hæ-
 reant, vt cum nos ab Antichristo saeuissimo,
 & crudelibus eius satellitibus eripueris,

P R E C E S

vberes tibi reddamus fructus iustitiæ & sanctitatis, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Cum simus, Deus Opt. Max. oues tuæ, populus tuus, hereditas tua, omnino credimus te nobis fore propitiū, & ita propitiū ut iniquitates & peccata condones, peccataq; & supplicia cōmerita ignoscas. Furorē tuū quē ipsi accēdimus, ipse, quesumus, tua pietate restringuas, ac indignationem, quam in nos prouocauimus dissoluas, quandoquidem non est ingenij tui (licet id improbitas nostra mereatur) vel perpetuo irasci, vel in longum spacium temporis iracundiam tuam extrahere: quin potius è diuerso passim bonitatem declaras, & salutem omnibus ad te confugientibus proferre soles. Da optime pater, qui pacem bonumq; nostrum semper loqueris, ut tibi loquenti auscultemus. Quod si contigerit, non modo salui erimus & gloria ornabimur, sed omnia nostra, bonitate, veritate, iustitiæ & pace refecta erunt: fides abundabit & per eam abs te copiosè iustificabimur. Hac itaq;

Itaque oramus, ut non simus ociosi & in-
 frugiferi serui, verum quo in sanctitate ac
 innocentia coram te perpetuo gradiamur,
 per Iesum Christum dominum nostrum, A-
 men.

EX PSALMO LXXXVI.

Est sanè magna, omnipotens Deus, mi-
 seria & inopia nostra, idcirco tua sa-
 lute maximè opus habemus, dum itaque ad
 te confugimus præsidij ac auxiliij causa, oc-
 currunt nobis grauia peccata nostra, cor-
 rupta vita & prauis mores, quos nec volu-
 mus, neque si velimus, possumus te celare.
 Tu vides omnia nostra mala, nosque ea ti-
 bi fatemur: peccauimus, iniquè egimus, in-
 obedientes, contumaces & rebelles tibi fu-
 imus, & longè grauiora meremur incom-
 moda istis quæ patimur. Sed tu qui Deus
 nobis es & optimus pater, inclina aurem
 tuam & nos audias, iam nostrum misere-
 re, qui ad te per singulos dies clamamus,
 oculos & animum nostrum ad te sustol-
 limus, hac nimirum spe, quod cum sis pro-
 nus ad ignoscendum, pietatis diues erga il-
 los qui te inuocant, & potens præ omnibus

P R E C E S

*Dijs in operibus tuis, non despicias nos in
 tanta molestia & tribulatione. Tu es ma-
 gnus, tu facis mirabilia, tu es solus. Quam-
 obrem doce nos vias tuas, fac vt in verita-
 te tua conuersemur: dispersum cor nostrum
 ad te reuoces, vt nomen tuum magnopere ti-
 meat. Tu quidem præclare impertisti nobis
 misericordiam tuam, sed quod ingrati fui-
 mus, contra nos insurrexerunt castra impio-
 rû, & perditorû acies nos inuaserû, qui te
 nec respiciûnt nec vllâ tuæ doctrinæ aut nomi-
 nis rationẽ habent, tãtummodo sceleratissi-
 mis artibus suis contendunt, vt vna ac ea-
 dem opera & cultum tuum & animas no-
 stras perdant. Tu itaque ô Deus, cum sis mi-
 sericors, longanimis, pius & verax, respice,
 miserere, confirma & serua filios promissio-
 num tuarum, exere signa tua in salutem no-
 stram, quo confundantur aduersarij, om-
 nesq; videant & intelligant, te verè esse
 Deum nostrum, per Iesum Christum
 dominum nostrum,
 Amen.*

EX EODEM.

Quando nos, omnipotens Deus, & vi-
 rium & consiliorum inopes animad-
 uertimus, & nihilominus tibi
 sanctos & addictos esse non dubitamus, im-
 pellimur ad nostras preces nostrosq; clamo-
 res coram te perpetuo effundendum, atq; o-
 mnem spem in te vnum collocandum. Qui
 itaq; benignus es & mitis, misericordia ac
 bonitate largissima præditus, adsis te inuo-
 cantibus. Nos vias tuas cumprimis doceas,
 et omni semota fictione & hypocrisi, can-
 didè integreq; tuis mandatis pareamus. Et
 quemadmodum nihil tuo numini par esse
 potest, ita cupimus, vt ab omnibus morta-
 libus & cognoscatur & adoretur. Id autem
 fiet, si ceu tuos frequenter è grauißimis pe-
 riculis eripuisti, sic in præsentia, quando ad-
 uersus eos, hostes humanæ salutis potentis-
 simè insurgunt, eos respexeris, robur suppe-
 ditaueris, & veram salutem largitus fue-
 ris. Aedas, precamur, hoc illustre signum,
 quo aduersarij tuæ gloriæ, cum id senserint,
 ad te seriò conuertantur, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

P R E C E S

EX PSALMO LXXXVIII.

CUM salus nostra tua sit, omnipotens Deus, nosque ad te quotidie clamemus, inclina aurem tuam precibus nostris, ne eas, precamur, auerseris, verum in conspectum tuum admittas, hoc potissimum tempore, quo aduersis vsq; aded exaturamur. Non iniuste neq; immerito hac turbulenta & aspera nobis infliguntur: sic enim ingrater egimus, perditè viximus, & te negligenter coluimus, ut nostris vitijs hac omnia mala nobis accersuerimus. Cæterum propterea magnopere dolemus, ac tuam omnibus votis imploramus clementiam, ne egas nobiscum iuxta iniquitates nostras. Ne velis nos deputare inter illos qui iam ad sepulchrum peruenerunt, neq; accenseas his qui in foueam descendunt. Vides humanum robur, presidia carnis, & externam potentiam quàm sint inania: quare festina & adiuues, neq; super nos constabilias furorem tuum, & his procellosis tempestatibus Antichristi ne nos demergas. Aduersarijs nominis tui ac Euangelij tui abominationi sumus, noti atque amici se subducunt. *Quamobrem*

obrem te inuocamus, ac nostras manus ad te expandimus, faciem tuam, que esumus, ne abscondas à nobis, alioquin miserè expirabimus, neque terrores tue iustitie valebimus perferre. Si amici, proximi & noti se à nobis elongant, ipse te presentem ostendas tuoque affulgeas auxilio, quo è tantis periculis erepti non in sepulchro aut in morte, sed inter viuos te confiteamur, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Quoniam, omnipotens Deus, dum hinc viuimus, vt homines, abs te sepe dilabimur, obfundunturq; tenebra nostris mentibus, ac qui in via tua progredi debebamus, aut cadimus frequenter aut ignauiter iacemus: vnde tu pro tua bonitate consuenisti quos fauore complecteris vel morbis vel aduersis excitare, quo caliginem & torporè illis excutias. Idq; te nobis in presentia sentimus prestare, atq; ita nos experimur depressos & incuruatos calamitatũ onere, vt parũ absit, quin penitus dissoluamur. Quare te rogamus, opt. pater, ne in tua nos indignatione corripias, aut f

P R E C E S

more ira tuæ velis absumere: ad nostri in-
 staurationem, quæ hæctenus contigerunt
 vellemus facere. Ecce nunc coràm te nostra
 effundimus vota & gemitus. Vides vt ami-
 ei & coniuncti in diuersa omnia abierint,
 & aduersarij nostræ saluti insidiando nos
 cessant laqueos necere, fraudes & dolos in
 nos perpetuò meditantur. Tu votis & pre-
 cibus nostris respondeas, ò Deus, neque ho-
 stes tui nominis patiaris letari de nobis. Ne
 nos deseras, ne procul à nobis te contineas:
 in auxilium nostrum propera, quandoqui-
 dem tibi vni concedita est nostra salus, per
 Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Quoniam dum hîc viuimus, omni-
 tens Deus, vndique malis circum-
 uallamur, ac ita calamitatibus
 implemur ærumnisque exaturamur, vt vi-
 ai adhuc in media morte versemur: idè ad
 te quem vnicam salutem constituimus con-
 tentis perpetuisque precibus clamamus.
 Spectes quesumus, vt nostris peccatis con-
 fecti, iam ferè absorpti sumus ab extremo
 exitio, indignatio ac ira tua, eorum causa
 inflammata, nos miserè perterret atque
 hor-

horribiliter diuexat. Neq; ad nos eripien-
 dos ex tam grauibus malis, amici, proximi,
 aut beneuoli quippiam auxiliij ferre pos-
 sunt. Quamobrem tu optime pater, succur-
 rere propera, ac nobis pro tua misericordia,
 qua in te admissimus, condones: quod ni fe-
 ceris, tantisper dum hinc viuimus, post extre-
 mum iudicium atq; condemnationem (qua
 precamur à nobis auertas) locum habere nõ
 poterit. Patefacias nobis denuo fauorem tuè
 vultus, quem videris tam diu, ob nostræ
 mala merita iure auertisse, alioquin diuti-
 us arguentem conscientiam, & manus tuæ
 seueritatem diutius ferre non possumus, per
 Iesum Christum dominum nostrum. Amen.

EX PSAL. LXXXIX.

Notissima est, omnipotens Deus mise-
 ricordia tua, cum quod sit celebrata
 ab omnibus sanctis, tum etiam quod per o-
 mnes generationes perpetuo se demonstra-
 nerit: qua etiam adductus es vt fædus cum
 electis tuis percuteres, quod velis Christi re-
 gnum eiusq; semen, id est Ecclesiam durare
 æternum, neq; vlli mortalium verendum
 est, vt vires tibi desint ad persiciendum.
 quantum

P R E C E S

quantum solenniter & firmiter promissisti.
 Monumenta potentiae tuae affligendo Aegy-
 ptum extiterunt: cumq; tui sint caeli, terrae
 orbis, venti, maria, & quicquid abs te con-
 ditum est, non dubitamus te posse seruare
 populum, quem tibi adoptasti, quiq; in lu-
 mine vultus tui ambulat. Inde hoc opus ha-
 bebimus, vt nobis imprimis tribuas: peccata,
 quibus te grauissimè confitemur offendisse,
 nobis digneris ignoscere, quandoquidem il-
 la verè sunt quae nos affligunt, illorum pon-
 dere maximè deprimimur. Da itaq; veni-
 supplicibus tuis, & contra aduersarios tui
 nominis, esto protectio nostra. Brachium tu-
 um cum fortitudine exeras, ad nos seruan-
 dos robora manum tuam, atq; in his pericu-
 lis pro nobis armato dexteram tuam, ne pre-
 valeat contra nos impiorum violentia: &
 filijs iniquitatis ne tribuas, vt pro suo odio
 nos affligant. Tu eos concutias, & auertas,
 ne suos conatus valeant exequi contra san-
 ctum Euangelium nostrum. Nos te inuoca-
 mus nostram salutem, Deum & patrem no-
 strum, ergo serues atq; custodias nobiscum
 misericordiam tuam, & fœdus nobiscum i-
 ritum, ne infirmes. Deseruimus legem tuam,
 is

in mandatis tuis non ambulabimus, tua sacra prophanauimus, neque tuam voluntatem custodiimus: quare cædi non recusamus virgis iræ tuæ, aut flagellis castigationis coerceri, id solum precamur, misericordiam, pietatem & veritatem tuam ne auferas à nobis, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Misericordiam & bonitatem tuam, Omnipotens Deus, celebrare, dū res ad votum succedunt, fatemur piorum hominum esse institutum: Verum enimvero eum morem si in aduersis casibus, prementibusque calamitatibus retinuerimus, vt perpetuò atque in omnes generationes te benignum clementemque prædicemus, tum spiritum ac gratiam tuam in nobis efficacem esse testatissimum habebimus. Precamur itaque, vt nunquam nostris mentibus excidere sinas promissa & pacta quæ cum Davide fidelissimo seruo tuo dignatus es inire, vt dares ex eius posteritate Iesum Christum potentissimum atque perpetuam regem omnium fidelium, sub

P R E C E S

eius tutela Ecclesia vniuersa & defende-
retur ab aduersarijs potestatibus, & omni
bonorum genere ornata floretet. Nec semel
experti sumus harum promissionum con-
stantem fidem: sepe enim liberaſti tuos, non
alia quã ista de causa à grauissimis & hor-
rendis periculis: ideo nobis additur animus
efflagitandi, vt nunc quoq; cum maxime
opus est, fidelium necessitatibus, vt solitas
es, consulas, per Iesum Christum dominum
nostrum, Amen.

EX E O D E M.

Non solum gratiæ copiam, omnipotens
Deus, nobis in Christo Iesu domino
nostro promisisti, qua tibi grati, amici, filij,
ac heredes futuri simus, verum etiam tan-
tam clementiam impensurum recepisti, vt
si, quæ nostra est infirmitas, in aliqua vitia
laberemur, paterna virga & misericordi
flagello nostras iniquitates corriperes, non
autem benignum fauorem propensumq; ani-
mum ab Ecclesia vnquam auerteres. Me-
mor itaque sis, pater cælestis, huius tui se-
deris, quod Cælo, Sole ac Luna firmitus
esse semel decreuisti: cumq; ob nostra
gratia

grania peccata, ira tua non parum exarsit, visus que sis tuorum fidelium causam deprimere, & pietatis aduersarijs, tuique nominis hostibus non vulgariter fauere, exere quasumus, iam tandem tuas antiquas misericordias, neque nos, qui Christi tui, licet indigni, membra sumus, ludibrio & opprobrio esse infidelibus eternum sinas, per eundem met Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XC.

CUM volueris, omnipotens Deus, nos cognoscere de tabernaculo tuo, quod reuera non tantum fuit, vt infinitam potentiam tuam, & immensam naturam continere posset, ideo iam agnoscimus hoc demonstratum, te vnum esse vnicum tentorium, habitaculum atq; refugium infirmitati nostre. Neq; habendus es recens aut noua mansio fidelibus, imò eterna, cum eos ante mundi constitutionem delegeris. Quare ad te, habitaculum & propugnaculum tutissimum nostræ ærumnæ & calamitates vndecunq; nos impellunt. Vitam planè degimus & miseram & fugacissimam, quæ instar aqua-

P R E C E S

rum diffluit, vt somnus abrumpitur, & ve-
 luti herba virens illico arefcit, dum ab ira
 ac indignatione tua consumimur, & perpe-
 tuo exterremur. Peccata nos admiffiffe confi-
 temur quibus merito es irritatus, atque ca-
 fi volueris tibi ponere ob oculos vindican-
 da, ardenti furore tuo prorsus abfumemur.
 Rogamus itaq; ô Deus, vt peccata & scele-
 ra, quibus te offendimus, condonare velis,
 quo non æternum abs te damnemur, sed ex
 præfentibus malis hunc fructum capiamus,
 vt animaduërfa vi & efficacia iræ tuæ, no-
 ftraq; futili atq; breuiſſima vita, timorem
 tuum maiori ſtudio perſequamur. Ad te re-
 deas, optime pater, afflictiſ calamiſiſque
 filiſ iam placeris: tunc ſolidè letabimur ac
 exultabimus, modo opus tuum ſuper nos ap-
 pareat: dirigat nos, quaſumus, ita ſpiritus
 ſanctus, vt decus, gloria, & ſplendor tuus
 cum in nobis, tum in omnibus actionibus no-
 ſtris eluceat, per Ieſum Chriſtum dominum
 noſtrum, Amen.

E X E O D E M.

S Inobis gratulamur, omnipotens Deus,
 ſtam exuberantem fauoris tui copiam,
 vt

ut nos, quos amore summo prosequeris, ante iacta mundi fundamenta, delegeris, priusquam montes fierent, aut orbis formaretur, destinaris ad tua aeterna bona percipienda, congeminebitur sanè gratulatio, si animus aduerterimus, quàm alioquin & naturæ infirmitate, & peccatorum maleficio simus nihili. In exitiū enim præcipientes rui-
 mus, ut aqua dilabimur, euanescentes quasi somnia, atq; instar herbæ momento arescimus. Quæ nostra incommoda, cum animo repetimus, occasionem, quæso, nobis eruditionis ac sapientiæ suscitent, ut intelligamus, quàm simus in nobis ipsis tuo favore indigni, atq; vicissim quanta sit in nos tua clementia, per quam te obsecramus, ut ad nos conuertas propitium aspectum, nosq; declares, ut sumus, tuum opus. Affulgeat vsque ad eò mentibus nostris splendor tuus, ut à scopo gloriæ tuæ opera nostra nunquam aberrarent, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCI.

Quicumq; se Deo verè cõmittit, ita ut cum pro firmo præsidio & munitissimâ arce habeat, non à calamita-

P R E C E S

tate, non ab insidijs, non deniq; ab ullo exitio est quod sibi timeat: nam suos Deus non minus protegit, atque alis volucres pullos defendunt, & in bello scuto & parma se tuentur milites. Quem nam Deo sincere fidentem pestis, plaga, calamitas aut vastatio poterit exterrere? Certe non timebit vlla de causa, nam etsi habeat sathanam atque impios omnes aduersum se grauias ac perniciosas molientes, eius salus a Deo longe pluribus angelis commissa est, quorum ille non solum auspicijs defenditur, sed manib. atq; humeris gestatur ne impingat in noxia. Nulla est vis in ferocissimis animantibus que ab eius pedibus non calcetur atque prematur. Quare si modo a nobis tantopere improbi timeantur, id esse potest indicio, quod tibi parum fidamus, ex qua hebeti & modica fide sic reddimur proni ad innumera peccata, ut nostris lapsibus te perpetuo ad iram prouocemus. Itaque oramus, ut quemadmodum es bonus, ita que admisimus in te velis ignorare, & posthac nos reddere tui quam amantissimos, ut nomen ac maiestatem tuam ex fide suspiciamus, & fructuosa reddatur coram te inuocatio nostra, cui, que sumus, respondet

Spondeas pro votis, & afflictis rebus Ecclesie tue, deniq; velis adesse, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

QVI spem suam in te collocarunt, omnipotens Deus, tue fidei umbram, & firmissimæ tutelæ munitiōnem sibi delegerunt, ubi tuti esse possint ab hostium insidijs, & à quouis pestilenti exitio securi. Cum improbi homines, qui verè sunt diaboli membra atque satellites, aduersus eos quippiam mali commenti fuerint, Dei auxilio & fide minimè destituentur, nam illos è vestigio vt validissimus clypeus tuebitur. Et grauisissimis, vt sis quotidie, tentationibus vndique seuientibus, quibus infiniti mortales præcipitantur in eternam damnationem, qui ex animo constiterunt & dixerunt Domino: Deus meus es tu, & vnicam te posui spem meam: ad hos malum nequaquam accedet, sed alijs cadentibus, ipsi firmi atq; intrepidi stabunt. Angelorum opera non solum ab aduersis casibus liberabuntur, sed nullæ erunt adeò venenatæ & immanes bestie, vt ipsis quicquæ

P R E C E S

noceant. Idcirco te rogamus, optime pater,
quo non simus tantorum bonorum exortes,
concedas, vt te adeò amemus, tibiq; eò vsq;
fidamus, vt præter te nullum aliud deliga-
mus nobis refugium, per Iesum Christum do-
minum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCII.

TVM celebrare nomen tuum, omni-
pens Deus, intermittimus, quando a-
nimos nostros admiranda opera tua nõ sub-
eunt, quæ illico vt cœperimus memoria dili-
gentius repetere, & cogitatione attentius
versare, imprimis nos vehementer exhila-
rant, impellunt deinde magna vi & effica-
cia ad tuas laudes prædicandas. Verè stupidi
sunt, qui ea vel non aduertunt, vel illis non
permouentur, ideo forsàn caligine obcæca-
ti, quod impiorum secundas res & diuitiarum
nam impunitatem videant. Sed istis intelli-
gendum esset, hoc te idcirco velle, vt repen-
tina insperataq; mutatione rerum magis do-
leant, & post fœlicitatis vmbra, in me-
ras ac solidas calamitates easq; sempiternas
incurrant, quando iusti cedri & palme in-
star in beata domo cœlorum bonis æternis
atq;

atq; synceris perfruentur. Hac spe nos, qua-
sumus, optime pater, foueas & consoleris,
quo ipsi & æquum & iustum te esse intelli-
gamus, & à tuo iudicio prauitatem omni-
no abesse vniuersis prædicemus, per Iesum
Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCIII.

CUM videamus, omnipotens Deus, or-
bem abs te conditum, ad eò firmū in-
concussūque perdurare, tantaque constan-
tia & recto ordine administrari, in eo agno-
scimus tuam celsitudinem robur atque po-
tentiam: vnde colligimus animos, nobis-
que certissimè persuademus, non minus tu-
as promissiones fore bonæ & veracis fi-
dei, quàm regnum tuum & forte & immo-
bile esse natura rerum nos doceat. Quamob-
rem tamen si hostes nostræ salutis insultent,
fremant, nosque suæ iracundiæ atque tenta-
tionum fluctibus perpetuò collidant, utque
immanes aquæ & procellosum mare aduer-
sum nos insurgant speramus, omnino fore ut
tua potentia & authoritate defendamur.
Largiaris itaque cum ut fides hæc in ani-

P R E C E S

mis nostris perpetuo augeatur, tum verò
 vt bona præclaraque erga Ecclesiam tuam
 promissa, non solum eueniant, sed etiam illi
 collata diuturno tempore in illa conseruentur,
 vnde tua bonitas & inexhausta clemē-
 tia magis ac magis omnibus declaretur, per
 Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCIIII.

Mira est, omnipotens Deus, peccato-
 rum insolentia: non enim tantum de-
 biliores atterunt & lædunt infirmos, sed eò
 amentie tandem perducunt, vt clam te su-
 am impietatem & sua graua facinora esse
 existiment. Oramus itaque vt à mentibus
 nostris hoc genus stultitiæ procul remoueas,
 nobisque persuasissimum esse velis, te, cum
 aurem condideris, oculum finxeris, homini-
 bus vim & facultatem intelligendi conces-
 seris, nil eorum quæ à nobis in terris desi-
 gnantur ignorare: nosque interim sic regas
 atque instituas, vt non solum ab æternis ma-
 lis quæ impijs preparantur, euadamus, ve-
 rum etiam, vt summam tranquillitatem fe-
 licitatemque quam tuis decreuisti elargiri,
 consequamur. Profecto nisi tu præsto sis, præ-
 rasum

ratum promptumq; habeas presidium quo nos tuere, facile incidemus in ea mala quæ nobis impendent. Sis nobis, quæsumus, pro arce, munitione & firmo clypeo, ne in te omnem spem nostram frustra videamur collocasse, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCV.

Quoniam tu es, omnipotens Deus, nostra salus & fortitudo, conuenit ut pro viribus te celebremus: quod ut ritè faciamus, confessione delictorum nostrorum imprimis te accedimus. Cum tuo beneficio, non autem nostris meritis, in oues pascuæ tuæ & in populum tuum nos cooptaueris, qui nullis nostris egebas officijs, quippe es rex magnus, super omnes Deos, in cuius manu haud solum terra & celsitudines montium sitæ sunt, verum cæli & omnes creature: nos te infinitis modis offendimus, cor nostrum obdurauimus tuis admonitionibus, in tentatione statim cessimus, animo errauimus, nostris peccatis & sceleribus tibi semper fuimus onerosi atque molesti. Idcirco modo in nos excitasti tam superbos &

P R E C E S

crudeles hostes, per quos in magnum discrimen adducti sumus: Verum tamen agnoscentes quàm iniquè egerimus, compertum habemus nullum aliud à tua bonitate atque misericordia nobis superesse presidium. Quare nostris his votis & supplicationibus pre-occupamus faciem tuam antequam perdamur, ac oramus ne in ira tua nos conteras: remoueas, quæsumus, peccata, quibus te & tentauimus cum patribus nostris & irritauimus. Memineris te nobis esse Deum, regem atque pastorem. Serues itaque, dirigas ac tuearis ab his, qui te haud minus quàm nos odio habent, ne patiaris vt opus manuum tuarum, quod in nobis cœpisti, pro libidine crudelitatis eorum dissipetur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Tanta est, Deus Opt. Max. tua maiestas atque inuicta potentia, vt vbiq; excellat & quàm latissimè dominetur, neque id immerito, cum abs te omnia tam imma quàm summa condita fuerint, nihil, quod vel sit abstrusum in terra, vel sublime in cacuminibus montium, reperitur, cu-

ius tu non fueris author: idcirco iustè cupimus te celebrare. Accedit ad hæc te nostrum esse vnicum præsidium, nosque vtræ gregem & oues tuæ possessionis ad te vnum pertinere. Quare tuum præsentissimum numen colimus, veneramur, adoramus & inuocamus, id cum primis petendo, ne cor nostrum, vt prauum est natura, sinas ad sermones tuos obdurescere. Lenias illud, quesumus, gratiæ ac Spiritus afflatu, neque sinas nos instar peruicacium Iudæorum qui tuæ virtutis tam sæpe voluerunt periculum facere, aduersus tua mandata vel obloqui vel reluctari. Sed quod illis non contigit vt sedes promissas occuparint, nobis pro tua bonitate largiri digneris, vt in æternæ fælicitatis portum, post longos & diuturnos errores tandem non prohibeamur ingredi, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCVI.

Admonemur, omnipotès Deus, multis de causis quo te celebremus ac nomini tuo benedicamus: uerū id assequi cōmodè nō ualemus, nisi prius à nobis depulerimus peccata

P R E C E S

quibus miserabiliter premitur. Suscepimus
 abs te præclarissimum salutis donum
 per Euangelium, sed in eo hæcenus tam fri-
 gidè viximus, ita aduersati sumus vocatio-
 ni nostræ, adeò mādāta tua negleximus at-
 que contempsimus, vt demum ad occurren-
 dum nostris malis opus fuerit his calamita-
 tibus, vt nobis iram tuā ostenderes, his gra-
 uissimis periculis, adductus es & nostris sce-
 leribus prouocatus. Caterum, Deus, hæc
 spectes quæ ipsi meremur, sed hoc vide, vt
 in Gentibus narretur gloria tua, & mira-
 bilia tua ab omnib. agnoscantur. Confidant
 hostes, cum tui tum nostri, humanis virib.
 & idololatriæ, Antichristum vt ipsi colūt
 ita nobis vellent obtrudere. Nos, contra, te
 vnum scimus esse magnum dominū ac ter-
 ribilem super omnes Deos. Idcirco te inuo-
 camus, & hoc nostro tempore ad te confugi-
 mus, orantes nostrorum peccatorum veni-
 am, vtque ostendas quàm vani sint Dij ini-
 micorum nostrorum. Iudica, ô Deus, aduer-
 sarios tui cultus & hostes sancti Euange-
 lij, quo ipse, vt i par est, & regnes & domi-
 neris in gentibus. Exeras, nos liberanda, ô
 Deus, potentiam tuam, gloriam atque ma-
 gnifi-

gnificentiam, vt erepti à tantis malis, red-
damus tibi debitas oblationum laudes: ex-
tollatur passim honor nominis tui, omnes-
que purissimo cultu adorent ac veneren-
tur maiestatem tuam, per Iesum Christum
dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

Beneficia tua in nos, omnipotens Deus,
non solum iugiter conferuntur, sed no-
ua & inusitata sese perpetuo exerunt: qua-
re merentur, ni velimus esse ingrati, vt ea
semper nouis laudibus atque carminibus ce-
lebremus. Ea est tua magnitudo atque po-
tentia, ea species & maiestas, vt infinito
vincas intervallo quicquid homines diuini-
tatis aut numinis vel sibi excogitare, vel
fingere vnquam potuerunt. Concedas itaq;
nobis, vt te veneraturi atque adoraturi,
nos ipsos nostraque omnia tue amplissima
gloriae alacriter offeramus, & non solū ver-
bis, imò probitate & sanctis moribus re-
gnum tuum omnibus gentibus annuncie-
mus, vt vbiq; intelligatur, quemadmodū
abs te nos cum vniuerso orbe creati sumus,
ita etiam vnà cum omnibus rebus esse in-

P R E C E S

staurandos, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCVII.

TV idem, omnipotens Deus, author es plenæ lætitiæ & solidi gaudij, summaque seueritate es præditus ac terrificæ potestate, hisque tuis facultatibus erga homines vteris pro tua infinita æquitate ac iustitia. Quamobrem oramus, vt nos, alioquin dignos ob nostra peccata grauissimis supplicijs, igne iræ tuæ ne velis inflàmare, sed iuxta tuam misericordiam, ac pro meritis vnicui filij tui Iesu Christi Domini & seruatoris nostri, ignoscas nobis quicquid deliquimus: Contra autem, furoris tui indignationem, conuertas in aduersarios tuos: ipsi incendantur, cõtremiscant, à facie tua instarcere liquefiant. Nos verò instaurati ac reformati spiritu tuo nouo genere vitæ, experiamur in nobis, & annuntiemus eis iustitiam tuam, ita vt illam omnes gentes intelligant. Quamuis enim multum ac sæpius deuiauerimus à volûtate tua, nobis in scripturis sanctis reuelata, nihilominus nostrorum vitiorum nos pœnitet, & gloriam tu-

am summopere cupimus illustratam. Non
 itaque frustremur hac nostra spe & desyde-
 rio: confundantur illi qui in te minimè spe-
 rant, sed habent idola innumera quibus fi-
 dunt, quæ adorant, obseruant ac veneran-
 tur. Quique tuo spiritu nos dignatus es rege-
 nerare atque viuificare, hoc demum largia-
 ris, vt peccata, & quicquid pugnat cum tua
 voluntate summo odio prosequamur. Dein
 de animas seruorum tuorum eripias de ma-
 nu improborum, vt cum euaserimus, non so-
 lum ipsi latemur, sed omnibus tuis oriatur
 saluifica lux, qua ad te conuertantur, tu-
 amq; memoriam celebrent laudibus in æter-
 num. per eundem dominum nostrum, Iesum
 Christum, Amen.

EX E O D E M.

CUM tu ipse sis, omnipotens Deus, quæ
 & latè regnes & omnibus rebus mo-
 dereris, nil oportet esse in orbe quod nõ in-
 de summoperè letetur: nam quod est op-
 tandum maximè regnum tuum, vt iusti-
 tia & equitate pulcherrimè ornatur, i-
 ta in eodem tanta vis & potentia si-
 ta est, vt nulla consilia, nullique conatus

P R E C E S

obstare possint, quin ad exitum perducantur quae cunque abs te consilio æquissimo, et singulari iustitia decreta fuerint. Rogamus itaque ut quemadmodum terra, cælum ac vniuersus orbis, iustitiæ ac sapientiæ tuæ sunt luculentiissimi testes, ita in Ecclesia veritas atque sinceritas tui cultus appareat, ibique communis omnium letitia sit, quod superstitiones & corrupta religio facesserint. Hoc nomine gaudeant qui solidè ac vehementer diligunt Deum: quem deniq; oramus, ut mentium lux in nobis augeatur, & in cœtu sanctorum ob beneficia eius ingentis alacritate gratulemur. Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM omni æquitate atque iustitia es-fulgeant, Deus Opt, Max. omnia tua iudicia, nos ea de causa & letari & exultare vehementer oportet. Licet enim, qui tui sunt, dum hic viuunt, ad momentum affligantur, tempus tamen quandoq; veniet cū per ignem, & maiestatis tuæ illustrem conspicuamq; presentiam orbem iudicabis, & cuiq; iuxta sua opera reddes. Tunc ipsi cæli
iust-

*iustitiam tuam annuntiabunt, & omnes
 velint nolint fateri cogentur te iustissimū
 esse: Tunc Ecclesia tua vera solidaque leti-
 tia perfundetur. Cum itaq; res ad hunc mo-
 dum habeat dum hīc abs te peregrinamur,
 lucem in nobis oriri facias, & spiritualem
 letitiam cum summa cordis integritate,
 quo iurē iusteque in te vno letemur, & de
 commemoratione tuæ sanctitatis nos inui-
 cem perpetuo commonefaciamus, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.*

EX PSALMO XC VIII.

*S*AEpius declarasti, omnipotens Deus,
 tui vnus esse verē saluare, vt qui ad
 hoc non egeas ope & auxilio vllius creatu-
 re. Tempestate patrum admiranda edidi-
 sti facinora, eosque seruasti frequenter so-
 la dextera & brachio sancto tuo: ita erga il-
 los opem tuam demonstraisti, vt omnibus
 gentibus misericordia tua & bonitas tua
 patuerit. Cum itaque hactenus fidei & pro-
 missionum nunquam sis oblitus, imò sem-
 per tuis, miris modis adfueris, quando ser-
 uatore opus habuerunt. Vnde nomen tuum

P R E C E S

extollendum & celebrandum iudicantur
 omni ratione, animo, voce, tubis, cythara,
 buccinis ac varia carminum modulatio-
 ne. Pari itaque iure & nos in præsentia or-
 mus, qui tui sumus, ne in hoc nostro tẽpore
 te à nobis subtrahas. Certè non ignoras
 quæ & quanta sint pericula, quibus verge-
 mur, dumq; rem æstimamus ex nostris me-
 ritis, grauiora & duriora se nobis osten-
 dunt, quam ferre possimus: ita enim in te
 peccauimus, tam impudenter leges tuas
 transgressi sumus, ac tibi sæpius admodum
 rebelles fuimus, vt si iuxta vitam ac mo-
 res nostros velis nobis facere, videamus
 de salute nostra actum. Verum hoc impetra-
 re abs te enitimur, quo & erga nos, more
 tuo, te geras, ignoscas pœnitentibus, offen-
 sam remittas te inuocantibus, & subueni-
 as his qui in te confidunt, ex tua equitate
 & clementia nos tuearis, eripias & defen-
 das à seuis simis hostibus nominis tui, per Je-
 sum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Immense laudes, omnipotens Deus, nomi-
 ni tuo debentur ab vniuerso hominum ge-
 nere,

aere, ob summa & infinita beneficia ei colla-
 ta, idque potissimum, quod nos à morte non
 alicuius alterius creaturæ ope liberaris, sed
 tantum sacrificio vnici atque dilectissimi
 filij tui: ita vt merito possimus dicere, nos
 brachio sancto & forti dextera tua solum
 esse seruatos. Declarasti verissimè quàm
 sis memor atque obseruans fidei, & bonita-
 tis: id ex nostra redèptione oēs fines terræ, et
 cuncti mortales videre possunt. At sumus
 adeò hebetes, rudes atq; stupidi, vt oëm sen-
 sum tantæ liberalitatis tantum non amise-
 rimus: quod iniquitatibus atq; scelerib. no-
 stris debemus acceptum referre. Quamobrè
 enixè imploramus tuam misericordiam, vt
 velis, quæ grauissimè in te peccauimus, à
 nobis remouere, ac tollere ab Ecclesia tua oc-
 casiones tanti luētus. Dum enim pietatem
 ac religionē in tanto discrimine versari co-
 gnoscimus, tibi corde aut voce nō valemus,
 vt par esset, iubilare, aut præ gaudio ad le-
 titiam prouocare vniuersas creaturas. Iam
 ipse, quæ sumus, venias & causam tuorū fide-
 liū iudices: erige ac subleua marētes iudici-
 inuis, afflictos recrea, vt equitas ac iustitiā
 qua imprimis excellis, omnib. quā latissimè

P R E C E S

pateat, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO XCIX.

EST sanè, Deus omnipotens, maxima vis regni tui, qua fideles cōsueuisti tuæ ri, hostes vero & rebelles prosternere: quod patres nostri sæpius experti sunt. Vnde verissimè credimus ac fatemur te præside populi, terram, animos & vires eorum nutare, qui illum oppugnant, vicissimque ipsum defendi & confirmari. Quamobrem cum ita magnus & potens sis in Ecclesia, quæsumus te, conturbentur potentia tua omnes gentes quæ regnum tuum volunt euertere: ut quæ es magnus robore ac potentia præ omnibus dijs ac regibus, te modo pro Ecclesia tua tremendum atque terrificum ostendas. Scimus quidem iudicium te diligere, ac res humanas iudicare ex iustitia: idcirco te rogatum volumus, ut, quando seueritatem tuam, iniquitates, quas admisimus, aduersum nos interpellant, ab eis oculos deflectas in Iesum Christum seruato-rem nostrum, qui nobis est pro Aarone, Mo-
se, Samuele, ac vero pontifice. Memor esto in
uocatio-

vocationis, sacrificij, sanguinis et lachrymarum quas pro nobis effudit in ara crucis. Ut enim merita nostra sint pessima, & infinita scelera admiserimus, memento quod per ipsum inuocatur nomē tuum super nos. Idcirco ignosceas, condones & remittas quæ transgressi sumus: nosq; haud cuncteris eripere ex tantis periculis, quò tibi valeamus ex animo viuere, tuumq; nomen, vt meretur laudibus in cælū efferre, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Quamuis impij videantur, omnipotens Deus, interdum tantopere concitari, vt penè omnia susq; deq; turbent, non est tamen, quod fideles multum perterresiant, quandoquidem ipse mundanarum rerum imperium suscepisti, & gubernaculis vniuersi orbis pro tua sapientia moderaris. Et id quicumq; persuasum habet ceteros timere sinunt, ipsi vero prorsus leti, solido sinceroq; perfusi gaudio te laudibus pro viribus celebrant, & omnibus modis tuas laudes efferunt: quibus & nos alacri animo studia nostra adiungimus: teque

P R E C E S

supplices & ardētissimis votis oramus, vt, qui Moysi, Aaroni, Samuēli cæterisq; tuis fidelissimis sacerdotibus, dum inuocarent nomen tuum, facilem & exorabilem te prebuiſti: ita nos quoq; in præſentia digneris audire, vt Eccleſiã, quæ tuo præſidio, ſi vñquam, modo vehementer indiget, non minus tua præſentia, conſilio, ſpiritu & gratia tueri velis, atq; olim paribus columna ignis & nubis in mari & in deſerto opitulatus es, Per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, Amen.

EX PSALMO C.

TVa planè dignitas, omnipotēs Deus ac beneficia ingentia quæ in nos contuſiſti, id exigere, vt conſpectum tuũ accederemus tibi gratias agendo, ac te, quæ admodum decet celebrando, lætitiã ſummã ac iubilatione eximia: Verum duo præcipuè videntur obſtare quo id minus à nobis fiat. Primo grauamur innumeris vitijs, & peccatis ita premimur, vt vix auſimus ad te oculos noſtros attollere: circumdamur præterea, noſtrorum ſclerum merito, ad eò An tichriſti metu atq; anxietate, vt parum ab ſit

sit quo minus ab ea absorbeamur. Sentimus
 quippe experiētia, prauitate nostra, per tuā
 iustitiam in nos ita eum incitatum, vt ni tu
 pro tua misericordia nobis subuenias, huma-
 ne vires & auxilia nihil hīc amplius pro-
 futura sint. Quamobrem te imprimis obse-
 cramus, vt sarcinam vitiorum à seruis tuis
 remoueas, nobisq; loco prauæ & corruptæ
 vitæ largiri digneris puram & incontami-
 natam. Deinde populum tuum velis eripe-
 re è faucibus crudelissimorum hostium, qui
 non solum corpora & fortunas, verum ani-
 mos fidelium tuorum æternum curant per-
 dere. Tu qui es Deus noster, hæc fieri, precā-
 mur, ne patiaris: sumus opus manuum tua-
 rum, ipse fecisti nos, non ipsi nos. Cum itaq;
 & populus tuus simus, & grex pascuarum
 tuarum, ita nobis opem ferendo velis ades-
 se in vtroque homine, vt demum atria con-
 spectus tui ingrediamur, laudibus, hymnis
 & canticis tuam prædicādo bonitatem, vt
 fiat per nos de ea fides, cum omnibus genti-
 bus, tum omnibus ætatibus, per
 Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

EXterno sacrorum oraculorum testimo-
 nio, Deus Opt. Max. atque intimo tui
 spiritus afflatu certiores facti quod te fa-
 ventem, nobisq; ac nostris rebus propitium
 habeamus, & sincero perfundimur gaudio
 & iustam voluptatē capimus. Et cum per-
 spectum fidei beneficio habeamus, te no-
 strum esse authorem, à quo & conditi su-
 mus, & in gregem tuam certumque popu-
 lum asciti, gratiarum debita actione, & me-
 moria tantorum beneficiorum nunquā pos-
 sumus exaturari. Quamobrem te cum laudi-
 bus & precibus accedimus, omnibusq; vo-
 tis efflagitamus, ut vniuersis gentibus no-
 men tuum patefacias, atq; in eam felicitate-
 m pro tua clementia Ecclesiam restituas,
 ut misericordia tua erga eam omnibus sit
 cōspicua, cum propter doctrinae veritatem,
 tum etiam propter vitā & mores, qui cum
 his, quae verè docentur, probè consen-
 tiant, per Iesum Christum do-
 minum nostrum,
 Amen.

EX PSALMO CI.

Hoc potissimum, Deus Opt. Max. in vi-
 ta eorum requiris qui nomen & re-
 ligionem tuam profitentur, vt summa equi-
 tate & iustitia vitam suam instituant, &
 actiones habeant charitatis & misericor-
 dia erga proximos: quæ cum passim nobis
 inculcent sacræ literæ, confitemur nos mi-
 nimè prestitisse, atq; hinc agnoscimus coram
 te iniustitias & iniquitates nostras, & fri-
 gida studia in Ecclesiam & sanctos tuos ex-
 hibita: teq; oramus vt quæ perfidè ac teme-
 rè contra mandata tua hactenus egimus, ve-
 lis nobis remittere: & concedas, vt acti pru-
 dentia tui spiritus innocentem vitam au-
 spicemur: seponantur à cordibus nostris pra-
 ua consilia: & quæcunq; à iustitia & recti-
 tudine deflectunt, sint nobis horrore nilque
 animis adhareat aut factis, quod à tua lege
 & voluntate sit alienum. Rogamus prete-
 rea cælestis pater, vt hoc nostro difficillimo
 tempore non deseras Ecclesiam tuam: vides
 quippe vt crudeles, malitiosi & impij. An-
 tichristi eam inuasent: adeò superbia sunt
 elati & accèsi furore, vt omnia tam diuins.

P R E C E S

quàm humana iura pari supercilio, & equali contemptu ludibrio habeant, nil humanitate aut fide peragunt, omnia mendacis, fraudibus & violentia perdere aggrediuntur. Quare te obsecramus, ô Deus, prope-
ra in auxilium populi tui, & tua vi atq; potentia excindas tam improbos, aduersarios non minus tui nominis quàm nostræ pacis atq; tranquillitatis, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Ecclesiam, omnipotēs Deus, que est domus tua, omne ornamentum & sanctitatis & virtutum decet, quo cum in presentia videamus eam miserè destitui, precamur, vt qui bonus es, & illi, vt non dubitemus, omnia bona cupis, atque ex sententia tuarum promissionum apprimè faues, vt eam sic instaurari concedas, quo ibi cuncta spiritali prudentia gerantur, eaq; inde remoueas crimina, quibus eterna iurè debetur condemnatio. Faceffant qui abs te deficiunt perfidia, & legi tuæ obstinata contumacia sunt rebelles: funditus ex ea rollantur detractores, atque vnà superbi, quiq; sua

sua impudentia nihil sibi non arrogant. Ac
 è diuerso studiosis veritatis maximè illic lo-
 cus pateat: hi non solum coràm te ibi ver-
 sentur, sed summa innocentia ac fide popu-
 lum tuum pascant, atque omnia ei ad salu-
 tem conducibilia sedulo administrent. Pro-
 cul inde, procul inde sint, optime pater, om-
 ne humanum commentum, & dolosa idolo-
 latria: atque omnis tandem impietas à cœ-
 tu fidelium radicitus excindatur, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

E X P S A L M O C I I.

PER nos ipsos quidem, omnipotens De-
 us, indigni sumus vt preces nostræ ad
 te habeant accessum, cum mandata & le-
 gem tuam passim transgressi simus, & tuo
 Euangelio ac nostra vocatione indignissi-
 mè vixerimus. Verum ipse pro tua clemen-
 tia, à votis ac supplicationibus nostris faciē
 tuā ne abscondas. Infestamur enim grauis-
 mè ac premimur maximis periculis: quare
 ad nos aurē tuā inclines, & inuocātibz te
 properanter annuas. A peccatis & vitijs
 primū releuari obsecramus, confirmetur de-
 bile cor nostrū in via tua, & Sancto spiritu

P R E C E S

irriges exhaustas animi vires: vt viuamus tibi, atq; instaurati & innouati nomen tuū & Euangelij benè audire faciamus. Deinde potentiam & vim tuam conuert as aduersus illos, qui nomen filij tui & sanctam eius doctrinam contumelijs & opprobrijs innumeris afficiunt. Miserearis quæsumus, iam Zion, id est, Ecclesie tuæ: nam tempus instare videtur vt illi faueas. Prospicias oramus è sublimi habitaculo tuo, & intuere calamitates nostras, gemitumq; audias eorum qui vincuntur, cæduntur & excruciantur mirabilibus modis propter nomen tuum, saluesq; oues tuas ex tantis periculis, quæ non solum morti, verum execrationi extremae deuote sunt ab Antichristo, vt quandoq; filij tui coram te valeant quietè & tranquillè agere, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Tum implorat auxilium, Deus Opt. Max. fidelium turba, quæ à tyrannide peccati atrociter opprimitur, sacerq; in ea penè succus pietatis arefcit, os ne tuas laudes canat, est oppilatum, & nullum ferè in corpore

corpore superest membrum, quod ad alterum iuuandum suo fungatur officio. Quamobrem tu qui semper identidem viges, in nostrum excitare auxilium, quandoquidem et ita afflictæ Ecclesiæ succurras iam opportunum tempus esse existimamus. Id autem si obtinuerimus, non dubitamus timorem tui nominis, et sinceram pietatem quã latissimè propagandam. Si enim tuorum ex tam grauibus malis fueris assertor, docebis fidẽ tuam perpetuo firmã atq; inconcussam durare: quæ, tametsi cœlum terraque miris vicissitudinibus agitentur, atq; ita ut pereant concutiantur, ea tamen erga tuos electos eadem manet: à qua nos haud nostris viribus aut meritis, verum eius misericordi atq; clementi efficacia cum seruari, tum instaurari etiam atque etiam obsecramus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CIII.

TEnemur, omnipotens Deus, ob summa tua in nos merita, animo, corde, omnibus viribus te perpetuò prædicare, & gratias dignas agere, ni, ut ingrati obliuiscã

P R E C E S

turpiter velimus omnium eorum, quae nobis
 haecenus tribuisti. Remissio peccatorum
 in Christo, ac regeneratio per eius sanguinem
 nobis est primum gratis abs te oblata,
 accessit doctrina, sacramenta, corporis vita,
 & quaecumque ad conseruationem vtriusque
 hominis faciunt. Verum tamen agnoscimus
 nos his omnibus tuis beneficijs esse fœdissimi-
 mē abusos, nihil bona fide praestitimus, quod
 plenē responderit nostrae vocationi. Quam-
 obrē supplices modo petimus, vt nostris di-
 gneris culpis ignoscere, ac mores corruptos,
 & vitam, quam haecenus degimus, absur-
 dam, emendare. Ne facias ò Deus, nobis scē-
 dum peccata nostra, neque nobis repēdas in-
 ta iniquitates nostras. Cum apud te summa
 pietas & misericordia obtineat, num perpe-
 tuo vlcisceris? aut nos corripies & castiga-
 bis in furore tuo? Memor esto te nobis pa-
 trem esse: ergo rogamus, vt erga te colen-
 tes paterno mouearis affectu. Nosti nos pul-
 uerem esse, ac nisi bonitas tua interueniat,
 vanissima figmenta: gramine & floribus
 sumus flaccidiores. Idcirco ne respicias ma-
 la nostra: erita, imò spectes fœdus inter
 nos & te initum, & populum tuum eripi-

as à sceleratis & nepharijs manibus hostiũ
tuorum, quo tua opera cum angelis & san-
ctis hominibus æternum celebremus, per Ie-
sum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Nunquam te pro dignitate, omnipotēs
Deus, celebrare potest humana infir-
mitas: non enim solum tua beneficia in nos
extant, quibus & vitam sumus adepti &
illã indies trahimus atque tuemur, sed quod
omnium maximũ est. tuis fidelibus & gra-
tissimas & infinitas per Christum condona-
sti iniquitates, de quo extremo summoque
beneficio, etsi non quas debemus, attamen
quas possumus. gratias agimus: & eo facti
ad petẽdum alacriores: te rogamus, optime
pater, ut in ore Ecclesię tuę perpetuo ver-
bum doctrinę purę digneris inducere & cõ-
seruare, quo illi aquilarũ instar, cõmutatio-
ne facta veteris fermenti, pristina iuuen-
tus redeat. Utq; dissimulatus Israelitarũ pec-
catis, eos non solũ per Mosẽ, quẽ ipse docue-
ras, ad sedes repromissas traduxisti, sed etiã
tuę misericordię perpetua beneficia ipsis im-
pertitẽdo indicasti nõ minori intervallo quã

P R E C E S

cæli & terra inter sese distant, eminere tuam bonitatem erga eos, & vincere omnium eorum scelera: ita te, qui pater es nostrum, qui filij tui simus, tangat misericordia, ut qui, iam iam ni succurreris, & tenebris & vitijs prorsus obruimur. Fœdus tuum inter nos & te renouari experiamur, & eo restituto, summo studio contendamus vitæ sanctitate mandata et legem tuam exprimere, quo de nostra salute non modo terræ Ecclesia, verum angeli quoque, qui tuam voluntatem summa alacritate exequuntur, bonitati tuæ meritas gratias agant, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CIIII.

Declarant abundè nobis, omnipotens Deus, omnes creature vim, decorem & gloriam tuam, quandoquidem omnia videmus te pro viribus ornare, ac nedum tuis verbis imò nutibus obedire: à quo item studio non esse alienos & nos oportuit, potissimum cum vniuersa in utilitatem nostram & commodum creaueris. Sentimus enim perpetuo fructus nobis è terra provenire, instamur fontibus, fluminibus, pecoribus, plu-
uijs

ijs, herbis, segetibus, vino, oleo & omni ci-
 borum genere: sed adeo caca, vitiata & cor-
 rupta est natura nostra, vt quo magis à te
 summis beneficijs affecti sumus, eò amplius
 contumaciter à verbis & voluntate tua de-
 sciamus. Quamobrem precamur, vt miseri-
 cordia tua velis delere quicquid hactenus
 in te peccauimus, vtque velimus nolimus,
 quo ad victum corporis, à misericordia tua
 pèdemus, ita etiam omnes nostros affectus,
 vires, consilia & opera in te vnum conuer-
 tamur. Oramus præterea, vt hoc nostro tem-
 pore faciem tuam à nobis minimè auertas,
 alioquin conturbabimur, expirabimus atque
 in nihilum redigemur. Tibi ò Deus, media
 & facultates non desunt ad tuos perdendos
 hostes: tu violentissimos ventos, fulgura et
 flammæ ignis habes nuntiorum tuorum lo-
 co, ut si terram respexeris, illico tremat, &
 si montes attingas statim fumant. Conficiã-
 tur ergo per te impij Antichristi, ita vt am-
 plius non supersint: deturque Ecclesie tuæ
 pax & tranquillitas ad celebrandas & ca-
 nendas laude tuas, per Iesum Christum
 dominum nostrum,

Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

NON latet fideles tuos, omnipotēs Deus, quod omnia condideris ab initio ad electorum salutem idcirco quemadmodum vniuersum orbem abs te creatum, videmus admirandis pulcherrimisque ornamentis insignitum: Sic precamur vt Ecclesiam tuam, que cœtus est seruandorum, digneris illustrare atq; excolere, quo non minus in illa atq; in vniuerso vel dignitas tua effulgeat: splendeat in ea cum primis, lux pura tuorum sermonum, quos vis & potentia spiritus in cordibus nostris efficaces reddat, & tanta credentium in fide sit constantia, vt terræ mole, fundamentis & basibus mundi sint firmiores. Depellantur inde ab increpatione tuæ potentie periculose tentationes, noxæ tartari & principis tenebrarum: ac è diuerso earum loco instar aquarum vini fontes, afflatus tui suauissimi spiritus succedant, nostræq; infirmitati nō desit quo confirmetur perpetuum pabulum. Sic in fiducia tui nominis munimentum quo nos respiciamus: vtq; in tuis creaturis nihil nō laeet vel astris, vel pulchra animantium, herbarum,

herbarum, lapidamq; varietate, Ita Ecclesia, precamur, vt omnium virtutum luminibus decoretur, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

TEstantur quæcūq; abs te creata sunt, Deus Opt. Max. sua magnitudine ac exquisitissimis ornamentis quam admirabili sapientia & immensa potentia vigeas: nihil est quod à te non pendeat, nam quæcūq; viuunt, cibum te suppeditante, aluntur, & à quibuscūq; abducis aspectus tui faciem, durare amplius non valent, sed cum spiritum tuum ab illis remoueris, illico extinguuntur. Quod itaq; optime pater tam bonus es & efficax, vel in ea que longè infra hominem esse decreuisti, erga Ecclesiam tuam, precamur, vt non minus tuam clementiam exeras. Est sanè tuum opus, quamobrè ea gaudeas & oblecteris, & cures pro tua summa prouidentia vt in illa maiestas tua se euidentissimè prodat, quo & nos perpetuo de tua voluntate inter nos suauissimos cōmiseramus sermones, & perpetuis laudibus celebremus te ex illa omnem impuritatem subulisse, per Iesum C. Dñm nostrum, Amen.

P. R. E. C. E. S.

EX PSALMO CV.

Mirabilia tua, cælestis pater, suadent
 nobis, & mandata tua sedulo preci-
 piunt, vt faciem tuam inquiramus nimi-
 rum purissimo cultu & fideli inuocatione
 in sacris cœtibus, id in memoriam reuocan-
 do te esse Deum nostrum, qui nos, per Chri-
 stum, verum Israelem effeceris, & per fidem
 Abrahami clarissimi serui tui filios. Vt ita-
 que sicut decet, inquiramus te, & conspectum
 accedamus, aufer, quaesumus, à nobis pecca-
 ta, & omnem vitæ impuritatem: nos gra-
 uissimè hæctenus peccasse, & animo & vo-
 ce confitemur, & ni tu properes in auxili-
 um nostrum, peccata nostra in profundum
 nos demergunt. Sicuti enim meriti sumus,
 excitati sunt & præualuerunt in nos hostes
 tui nominis, ac se quotidie roborant aduer-
 sus Christum filium tuum Dominum & ser-
 uatorem nostrum. Omnia hæc mala agno-
 scimus nos inuexisse in Ecclesiam, ob vitam
 quam tuo nomine & professione nostra in-
 dignam hæctenus viximus. Verum tu preca-
 mur, esto memor fœderis tui, quo es pollici-
 tus nos fore funiculum tuæ hereditatis. Pa-

Num tuum non est caducum, imò sempiter-
 num. Consueuisti aliàs castigare reges, ne
 tuis electis nocerent, valuisti super terram
 quoties libuit defendere, & tueri sanctos
 tuos: cælum, elemēta, ac omnes creatura tibi
 militarunt in Aegypto ad salutem populo
 tui. Vt ergo tunc non es oblitus fœderis
 tui, ita in præsentia te memorem illius ostē-
 das. Omnibus modis impij homines, diabo-
 lus & Antichristus annituntur nos absor-
 bere. Quare mirabilia tua, ô Deus, in nobis
 renoues: nihil habemus auxiliij, sed alis nos
 tuis protege, ac illas super nos expande, vt
 non solum nos defendas, imò quo tutè &
 tràquillè nobis tibi viuere liceat, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM non possit esse, omnipotens De-
 us, piorum hominum præclarior aut
 nobilior studium. quàm admiranda & exi-
 mia tua gesta cum animo repetere, tum ser-
 mone ac laudibus quam luculentissimis ce-
 lebrare, iam ipsi vt fidei sectatores Abraha-
 mi veterumq; sanctorum patrum nõ dege-
 neres filij, Christi membra, & Apostolorum

P R E C E S

eius institutione eruditi, memoria repetimus quàm sanctè fœdus, quod ab initio cum Ecclesia percussisti, obseruaueris. Fuisi etiam perpetuò electis tuis, quando tibi fidebant, protectio securo & firmissima tutela, cumque tu defenderes, nullus ijs nocere uoluit. Deinde cum seueritate iustitiæ tuæ ali qua calamitate orbem premebas, aut fame summaq; annonæ inopia diuexabas, totum id quicquid fuit in salutem gloriamq; Israelitarum tandem concessisti. His admoniti cogitamus animum teq; supplices accedimus: ut non minus hodie uelis esse tui patris memor erga Ecclesiam, quàm antiquitus fueris. Multa ut uides eam undique premunt incommoda: tu, precamur, qui solus potes aptime pater, ea omnia uel facessere iubere, uel ad nostra uitia repurganda ualere concedas, per I. Ch. Dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Optamus, Deus Opt. Max. ut ceteris filiorum tuorum, cum numero tuo etiam fide, atq; omnibus tuæ gratiæ ornamentis digneris augere: atq; ut filijs Israel quando iam in populum maximum creueris.

zant, Aaronem dedisti fidelissimum pasto-
rem, ita nunc Ecclesie præpares pios, erudī-
tos & prudentes ministros, quorum opera
Aegyptus nostrorum cōcidat, doctrina, qua
nos instituunt, indies accendatur quisq; no-
strum, & bonis & spiritualibus fructibus
cumulatissimè diteſcamus. Lumine sermo-
num tuorum & ductu spiritus sancti nun-
quam, optime pater, nos destituas, alioquin
in deserto huius vite cum miserè errabi-
mus tum infeliciſsimè peribimus, & quan-
do infinita tentationum pericula fidelibus
tuis imminēt, non illos deficiat gratia atq;
favoris tui robur, quo valeant dum hīc vi-
vunt regnum tuum ad plurimos propaga-
re, & demum promissas abs te sedes eter-
nae felicitatis adipisci, per Iesum Christum
dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM non immerito filiorum Israel in
gratitudo & rebellio contra Deum à
scripturis taxetur (etenim illi perpetuo suis
querimonijs erant molesti) precamur te cœ-
lestis pater, ut tua ineffabili misericor-
dia & paterna benignitate nos ita regas.

P R E C E S

atque gubernes, vt eorum similes non deprehendamus. Illi facile, operum tuorum, quibus eos in libertatem asserueras, obliuiscuntur, Dijs alienis adhærebant, carnis voluptatibus polluebantur, & denique terram optabilem à te illis promissam & contempserunt & sceleribus grauissimis atque turpissimis contaminarunt: propter quæ in gentia peccata, disciplina paterna sæpe abs te correpti sunt, nunquam tamen, quæ est bonitas tua, fœderis cum patribus illorum initi, oblitus es. Ita Ecclesia tua, ô Deus, cæ interdum grauius labatur, oramus vt solita lenitate corrigas iure pacti eterni saluo quod nobiscum per mortem renouasti vnigeniti filij tui Domini nostri Iesu Christi, qui tecum viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

EX EODEM.

EA est, omnipotens Deus, tuæ bonitas erga tuorum fidelium cœtum, vt quæ hætenus pro asserendo populo tuo in libertatem fecisti, eadem quoque nunc, si manserit in fœdere quod tecum iniit, & sperare possit & sibi polliceri. Quemadmodum enim tua
 potest

potētia vexati sunt & demum oppressi tuorum Israelitarum persecutores: ita denique cum tibi visum fuerit opportunum, vi tuę spiritus omnes illi perdentur, qui Ecclesię ac veritati tuę aduersantur. Nunc itaque hoc te presertim rogamus, vt dum abs te in hac vita peregrinamur, & vndique infinitis periculis circumuallati sumus, luce ac igne tui spiritus tenebrarum nostrarum noſtem illustres, & nube tuę gratię suauissimā, tentationum multiplicium estus digne temperare, quo iter per deserta huius vite sic integri & salui possumus conficere, vt ad te in eterna tabernacula, repurgatis animis tandem peruenisse letemur, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Tenus est, Deus Opt Max. ac infirma plus quā oporteret fides nostra indeq; fit vt sepe cum patribus nostris peccemus, dum tuis promissis mēs nostra fideliter non adherescit: Sed tu qui bonus es, quemadmodum filios Israel non pro eorum infidelitate tractasti, sed brachio forti & vi potentissima ex Aegyptiorum seruitute liberaſtis

P R E C E S

Sic nobis, quæso, adsis, & peccata quibus in captiuitatem abducimur, ita vincas & prosperas sicut Aegyptios, in profundum maris demersisti, vt huius tuæ bonitatis sensu permoti, firmus & firmiter fidei atq; constantia, & vt per desertum huius vitæ nostris cupiditatibus non indulgeamus, ne sicut Israhelita, per varia sua desideria te ad iram prouocarunt, nos quoq; tuum furorem contra nos accendamus: Sint nobis, precamur, perpetuo ob oculos eorum pœna atque supplicia, vt alieno periculo atq; malo admoniti, cautius atq; prudētius, in domo tuâ quæ Ecclesia est, conuersemur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CVL

OB tuam summam bonitatem & eternam misericordiam omnes tenemur pro viribus nomen tuum celebrare, optime pater, qui ad salutem piorum quàm sepius vnè declarasti tuarum virium immensam potentiam, qua eadem nunc petimus, vt digneris visitare & consolari Ecclesiam tuâ: ea modo Antichristi furore, & improborum malis artibus tantum non oppressa est.

est. Cumque sit hereditas tua, eius pacem
 latitiam, atque fœlicitatem desyderarimus
 vehementer quandoq; conspicerem. Intelligi-
 mus quidem probè, & ingenuè fatemur nos
 cum patribus nostris impiè egisse, grauissi-
 mè peccasse, & abs te, Deus noster, quàm
 miserrimè defecisse: sed non propterea de-
 spondemus animum, quando talem te vide-
 mus cum populo veteri semper extitisse, vti
 cum incredibilibus beneficijs essent abs te
 ornati, atq; eorum immemores ad idola &
 impietatem frequētissimè defleckerent, non
 tantum eos funditus non debebas, sed ali-
 quantulum & paterne castigatos, cum in-
 viam redirent, pristina tranquillitati resti-
 tuebas. Et nos itaq; ô Deus ter maxime haud
 secus non ob vlla nostra merita, sed tantum
 propter nomen tuam velis seruare, vt quæ-
 admodum è diuersis gentibus sumus cõgre-
 gari, sic tuas laudes erepti tantis periculis
 confiteamur, & honorificè prædicemus, per
 Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM

Est, Deus Opt. Max. tua clementia et
 admiranda bonitas, ut quo magis à nobis

P R E C E S

in tuis operibus animaduertitur, eo videatur longè difficillimum iustis & meritis prosequi laudibus: in ipsa tamen cum perpetuo menti spectantium occurat, hos esse beatos qui iusta & recta faciunt atq; è diuerso in felicissimos qui à tuis legibus vita & moribus longè discesserint. Idcirco te rogamus, vt gratia et fauore Domini nostri Iesu Christi, nos in officio obediendi tue sanctissime voluntati contineas, & à peccatis innumeris & grauissimis reuoces, demumq; velis, non quidem suis meritis, verum ob dignitatem nominis tui Ecclesiam seruare. Ne illi vnquam obrepat obliuio tuorum beneficiorum, quæ nisi perpetuo retineamus ob oculos facile ad mundi & carnis dilabimur cupiditates. Submoueas ab ea procul inuidiam & factiones, quibus, astu diaboli, quandoque fideles ministri consueuerunt premi. Vtque precibus Mosis populo, quem deletere statueras, antiquitus pepercisti, sic nobis concedas omnis culpe noxæque indulgentiam, per Iesum Christum dominum nostrum,

Amen.

EX E O D E M.

Patres in deserto nobis, omn. Deus, pro-
 ponuntur sic neglectim & parum ve-
 recundè tecum se gessisse, vt ferè perpetuo,
 vel saltem non magnis temporum interval-
 lis te irritarint, idque tentando & quiri-
 tando, maleque auspiciato se abs te auerten-
 do. Quamobrem iure & merito aduersus il-
 los commouebaris, atque eò interdum pro-
 gressa est ira tua, vt eos inimicis tradide-
 ris longè seuerissimè castigandos, Hæc nobis
 exemplo esse debuerant, vt illa præsertim
 vitia caueremus, propter quæ illos abs te
 fuisse alienatos intelligimus. Cæterum vt
 sumus ad malum proni atque infirmi, nihi-
 lo secius illis eisdem vitis nos miserè contami-
 nauimus: idcirco non semel experti sumus
 te, vt iustus es, nos tradidisse cupiditati-
 bus nostrum diuexandos. Nunc verò cum
 satis iam pœnas luerimus, te precamur, vt
 veluti Israelitis ad te redeuntibus in me-
 dijs calamitatũ procellis ferebas opem. sæ-
 deris abs te cum illis initi non immemor,
 ita nobis adesse velis, ac ab erroribus & pec-
 catorum seruitio asserere, in gratiam Iesu.

P R E C E S

Christi Dñi nostri eiusdēq; filij tui, qui te-
cū viuit & regnat in secula seculorū, Amē.

E X P S A L M O C V I I .

Multum sanè omnipotens Deus, hi cle-
mentia tua debent, quos, dum nauigant,
à procellosis tempestatibus & ventosis
fluctibus, misere iactatos, opportuno au-
xilio seruas, quod te fideliter inuocarint. De-
claras etiam non minus potentiam tuam,
dum siticulosis & arenosis locis aquarum
fecunditatem suppeditas, & sterile solum
conuertis atq; immutas vt sit frugiferum.
Atq; dum id merentur hominum peccata,
admirabili uicissitudine, amœna & ferti-
lia loca, è diuerso sterilia & prorsus infru-
gifera efficis. Tandēq; vt agnoscar is, tuarū
summa vis à mortalibus sentiatur, maxi-
mos reges ac principes despectui ac ludibri-
turpissimo exponis, & pauperes atque infi-
mos ad regna suprema euehis. Rogamus ita-
que vt nos oscitanter ista cogitare non pa-
tiaris, imò hoc solum largire, vt his adducti
committamus nos totos cū tue bonitati ad-
iuuandos, tum etiam tue legi gubernandos,
quo è mundi fluctibus, te duce, exatemus, et

animas nostras bonarum actionum hactenus
steriles, iam illarū feracissimos habeamus,
& qui extrema inopia boni laborauimus,
ad opes regni cælorum te authore perduca-
mur, per Iesum Christum D. N. Amen.

EX EODEM.

Quicumq; abs te, Deus Opt. Max. sunt
ē grauissimis calamitatibus erepti,
par est vt laudes tuas celebrēt,
& merita gratias agant. Experiuntur quo-
tidie tuam misericordiam qui erroribus iti-
nerum iactantur, & per vias cecas, loca so-
licitaria & inaccessa, inter feras & latro-
nes periclitantur: his, cum ad te serio preces
fundunt, auxilium minimè denegas. Ades
quoq; & illis qui captiuitate, ferreis vincu-
lis et obscurissimis carcerib. premuntur. Neq;
illis dees quos lethales morbi ferè iā confe-
terunt: quandoquidē ex animo implorantem
opē tuā semel decreuisti nunquā frustrari.
Idcirco nos, qui à vijs pietatis & sanctæ vi-
te diu & grauiter aberrauimus, modo ad te
cōfugimus, quiq; sumus tyrānica peccatorū
seruitute adeò misere oppressi, te inuoca-
mus, tandēq; omnib. votis efflagitamus, vt
verbo sanctorū nostrorū sanare digneris.

P R E C E S

quo tibi perpetuo vivamus, tuque inde re-
portes eternam laudem, per Iesum Chri-
stum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CVIII.

Confirmes & instruas, omnipotens
Deus, tuo spiritu ita corda & animos
nostros, ut quamlibet aduersis casibus occu-
pentur, aut metu et formidine hostium reli-
gionis & pietatis concutiantur, non tamen
propterea desistant à tuis laudibus celebra-
dis. Excitetur in nobis, optime pater, inge-
nium, mens & intell. gentia ad tuam boni-
tatem rectè percipiendam & agnoscendam
constantissimam fidem tuorum promissorū.
Sunt hæc duo in te adeò præclara, ut sua ma-
gnitudine vincant nedum sublimes aeris
nubes, imò & cælos ipsos longo intervallo
transcendant. Idcirco audemus te rogare et
obtestari, quo nostris innumeris & gravissi-
mis peccatis condonatis, velis rursus decus
tuam efferre, ac gloriam tuam mundo osten-
dere Ecclesiam eripiendo è faucibus Anti-
christi. Memineris illam esse hereditarem
atque electam possessionem tuam, quam li-
cet ob iniquitates nostras videaris interdū
abijcere

abijcere, aut repellere à tua protectione, illius attamen haud vales pro tua bonitate & fide reuera obliuisci. Quare tibi vni fidi-
mus, vt qui tã compertissimũ habeamus inua-
nia esse hominum auxilia. Tu itaque nobis
adsis, & da, vt pro nomine tuo ac sancto E-
uangelio & constanter & fortiter agamus,
per Iesum Christum dominum nostrũ,
Amen.

E X E O D E M.

DVM memoria ac animo repetimus,
Deum Opt. Max. tuarũ promissionum
diuitias, mirificè ad tuum nomen celebran-
dum excitamur, idque studium tum vehe-
mẽtius augetur, quando re ipsa experimur,
te optima fide prestare quae te daturum es-
se receperis. Multa quidem haecenus nobis
& quidem immerentibus exoluisti, attamẽ
supersunt nonnulla, quae vt citius implean-
tur, te etiam atque etiam oramus. Cœpisti
nos ab hostibus eripere, ad vltiora fœli-
cia inuita prouehantur: eò vsque iam sumus
à peccatis asserti, vt tantisper dum tibi ve-
rè credimus, nobis ad mortem non imputen-
tur. Sed tamen adhuc illis preminur: tuis

P R E C E S

itaq; auspicijs indies magis ac magis excu-
 tiamus eorum iugum. Orsus præterea es re-
 gnum filij tui, qui verus est David, eò pro-
 pagare & illustrare cures, quæsumus, ut v-
 biq; gentium, & inter vos præsertim casta
 sancteq; colatur & inuocetur, quo tua Ec-
 clesia, ob tuam gloriam, res præclaras gerat,
 neq; ab hostibus pietatis à iusta religione
 retrahatur, per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

EX PSALMO CVIII.

TU vnus es, Deus omnipot. à quo nos
 omnia nostra habere & agnoscimus
 & profitemur: sub cuius auspicijs et religio-
 ne agere, summã ducimus felicitatẽ, neque
 aliud habemus potius aut antiquius, quam
 laudibus & celebrationi tui nominis insiste-
 re. Ne hoc tẽpore dissimules aut sileas con-
 tra improbos & fraudulentos hostes Eccle-
 siæ tuæ: haud solum mendacijs & blasphem-
 ijs contra te insurgũt, verũ furentissimò
 odio & seuisima crudelitate aduersum nos
 belligerantur, obliti prorsus omnis humani-
 tatis & pietatis. Ut vero nos hæctenus eis
 pacifici fuerimus, ò Deus, tu nosti: dilexi-
 mi.

nos ex animo illos, ac pro eis instanter pub-
 licè & priuatim orauimus, modo nobis pro-
 summis beneficijs extremas rependunt affli-
 ctiones & calamitates. Quare, cœlestis pater
 excitare aduersus illos, execrationes & blas-
 phemia quas in ore perpetuo habent occur-
 rant, occupent & opprimant eos, habeant in-
 stā mercedē odij & iniuriarū, quibus et te
 imprimis & nos populum tuū afficiunt. No-
 bis verò clementissime pater, ne facias pro
 meriti iniquitatum nostrarū, ita peccau-
 imus, tam prauis in cōspectu tuo fuimus, vt
 nulla supplicia quamuis grauiā non merea-
 mur: verum haud nos, sed gloriam nominis
 tui respicias: cum afflicti simus & inopes,
 adiuues & serues nos pro tua bonitate, pu-
 desiant Antichristi & ignominia induan-
 tur, sintq; probra eorum quotidianum palli-
 um. Nobis verò tuo auxilio astes, & animā
 serues fidelium tuorum, per Iesum Christum
 dominum nostrum Amen.

EX EODEM.

CVM tu, cœlestis pater, is Deus sis quē
 gloriamur nostrum Deū esse, ne sileas
 aut quiescas in tāta Ecclesiarū oppressione,
 quando contra te, contra doctrinā & cōtra

P R E C E S

populum tuum, non alia passim audiuntur
 quàm mera blasphemia, & ab his potissi-
 mum pro quorum salute perpetuo te orauit
 Ecclesia. Tu nosti ut semper aduersarijs no-
 stris pacè & bona omnia cupiuerimus, qui
 tamen in presentia efferuntur impotèntissi-
 mè, quod se tempus idoneum nactos arbitra-
 tur ad hereditatem tuam exerendam. Quà-
 obrem merentur illi quidem ut eorum ma-
 lis meritis iusta rependas, & ea omnia, que
 modo audiuimus imprecari spiritum tuum
 obstinatis deploratisque peccatoribus. Sed
 nos etiam nobis malè conscijs, quod te & do-
 ctina tua indignissimè vixerimus: primò
 confitemur grauiam esse nostra peccata, dein-
 de oramus ut pro tua misericordia ea nobis
 digneris remittere, demumque afflicto po-
 pulo tuo velis opem ferre, quo te & confite-
 ri & celebrare possimus in sacris & ma-
 gnis cœtibus, quod, uti promptus defensor
 ad dexteram pauperū & propè euerforum,
 te constitueris, illorumque vitam & pieta-
 tem conseruari à vi & rabie Antichristi,
 qui omni iam sibi in eos videtur & sume-
 re & arrogare, per Iesum Christum dominū
 nostrum, Amen.

EX EODEM.

DEus Opt. Max. qui omnium laudum
 quas Ecclesia celebrat et ut iusta ita
 etiam diues materia, non te latet quid nam
 fraudulenti ac dolosi quotidie aduersus eam
 moliantur. Illa ut benigna est, eos materna
 charitate diligit, atque pro illorum salute
 precibus, cum inflammatis tum etiam fre-
 quentibus, te orat. Attamen illi, cum non
 emendentur sed in malis obstinatius obsir-
 mentur, precamur, ut eorum furorem tan-
 dem reprimas, atque afflictioni seruatorum
 tuorum aliquis modus finisque imponatur.
 Vides iam omnia ferè esse redacta ad extre-
 mam infirmitatem, ut in tuo cultu nil pe-
 nè sit non vitiatum et turpiter corruptum.
 Aduues itaque properè, ut intelligatur,
 non deesse tibi ad succurrèdum tuis & vim
 & sapientiam: quod ad tuum nomen & lau-
 des propagandas mirificè conduceret. Quam-
 obrem cum summa sit iam in tua Ecclesia
 bonarum spiritualiumq; facultatum ino-
 pia, eam tu resarcias tue lucis, doctrine, gra-
 tiarum & donorum vberrimis thesauris,
 per Iesum Christum Dñm nostrum, Amen.

P R E C E S

EX PSALMŌ CX.

CVM dilecto filio tuo Domino & ser-
 uatori nostro Iesu Christo dederis, om-
 nipotens Deus, vt plena & vniuersali po-
 testate præditus ad dexteram tuam sedeat,
 ita vt rebus omnibus præsit ac dominetur,
 neq; vlli superfuturi sint eius aduersarij,
 quos tandē non sis positurus vti scabellum
 sub pedibus eius: intuere, precamur, quonā
 pacto his diebus excitati sint impij & cru-
 delissimi Antichristi, qui de eo palam dice-
 re audēt, Nolumus hunc regnare super nos:
 neq; possunt exaturari, odiū suum exitiali-
 ter declarando cum in spiritū tuum in nos po-
 pulū eius. Quare tu ō Deus potentie tue sce-
 ptrū, & virgā tui furoris è cælo super illos
 emittas, quo filius tuus per spiritū sanctū &
 Euangeliū in medio suorum hostium domi-
 netur: da vt vtronei ac spontanei sint eius
 populus, cōueniās magno numero ad sanctū
 illius regnum tuendū & precib. & viribus
 Nos quidem ob nostra peccata tanto benefi-
 cio sumus indigni, vt qui tam parum fideli-
 ter hætenus tibi vixerimus: Veram tu, ō pā-
 ter cælestis, non nos imò iuramentum tuum
 ob

ob oculos habeas, quo in vera Ecclesia filiū tuum & principem & sacerdotem constituisti ad illam seruandam. Itaq; hoc tempore concedas vt principatus, reges, & potestates huius mundi, quæ ita contra illum se extulerunt, ira furoris tui concidantur, iudiciū in istos blasphemus & impurissimos hostes exerceas, quo hoc sanctum Euangelij regnum per vniuersas orbis partes amplifcetur, vtq; Iesus Christus filius tuus, qui in nobis videtur opprimi quodammodo, præclare & gloriose caput sentiatur attollere, per quem eundem hæc omnia petimus, Qui tecū viuit & regnat in secula seculorū Amē.

EX E O D E M.

Quonia Christo Iesu filio tuo ac seruatori nostro, Deus Opt. Max. contulisti vt super omnia creata potestatem summam exerceat, atq; ita sedeat ad dexteram tuā, vt demū subdantur ei quasi scabellū pedū omnes aduersariæ potestates, precamur, vt modo in tanta necessitate Ecclesie, velit proferre atq; exere suā potentia. Excitet sibi spontaneos atq; vltroneos cooperatoros, ad tā præclarū eximiū atq; vtilissimū opus, qui zelo dignitatis et existima

P R E C E S.

tionis eius accensi, veritatem doctrinae confirmant mores instaurēt & integritatē vitæ in populo fideli restituant. Cumq; agnoscamus & confiteamur nos varijs, innumeris atque grauissimis criminibus & pollutos & contaminatos esse, oramus vt mediatoris & sacerdotis Christi expiatione absolvamur, quod ni ipse faciat, qui iuxta rationē Melchizedech noster sacerdos est institutus, id non poterimus alia via consequi. Deletis itaque per eum nostris peccatis, à nobis auertas iram tuam, eamq; exerceas contra contumaces & rebelles hostes pietatis. Iudica impias gentes, vt cum visa fuerit, cognita & perspecta tua seueritas, vt commerituus, communibus omnium laudibus eueharis, per eundem Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Nouimus, Omnipotens Deus, non alia de causa tam diu mundi solutionem differri, & Iesum dominum nostrum atque tuum filium dilectissimum à nostro conspectu subductum ad dexteram tuam in gloria sedere, nisi vt interim sub pedibus eius omnes Euangelij hostes prosternantur, & eius doctrinae

doctrina, quæ à monte Zion impulso Spiritu
 sancti per orbem diffusa est, longè late-
 quæ cum propagetur, tum fructificet, vt non
 iam coactos populos, & cultores vi addu-
 hos habeas, verum vltroneos, quiq; pro
 tua veritate non solum omnia sua, verum
 & vitam ipsam ponere pulchrum existi-
 ment. Hæc cum te re ipsa præstiturum iure
 iurando interposito receperis, optime pater,
 fidem tuam modo imploramus, vt ea quan-
 ta cum maturatione fieri potest, persoluas:
 pronuncies quæso, sententiam pro Ecclesia,
 quæ tam diu & tam acriter oppugnata est
 à principe tenebrarum, cõteras diaboli ma-
 chinas, & vim rabidam, quibus inferorum
 potestates eam obsessam tenent, ita vt quan-
 doque inter nos Christus fulgidum caput
 suum efferat, qui tecum viuit & regnat in
 vnitæte Spiritus sancti, per omnia secula se-
 culorum, Amen.

EX PSALMO CXI.

Sunt magna & admiranda. Omnipotens
 Deus cuncta opera tua, quæ si piè & fi-
 deliter à nobis peruestigarentur, in eis ni-
 hil inueniremus, quod animis nostris non

P R E C E S

summopere satisfaceret. Sed proh ô dolor
 quâdo corrupta vita & numerosissimis pec-
 catis onusti sumus, magnificentiam atq; iu-
 stitiam in operibus tuis purè & sincerè nô
 valemus contemplari. Attamen haud pos-
 sumus, reuocando ad memoriâ beneficiâ
 quæ nobis & patribus nostris exhibuisti, te
 non dicere beneuolum atque misericordem.
 Qui itaq; nunquam defuisti tuis, alendo eos
 & dando gentium hereditatem repromis-
 sam, ne fœdus aboleretur cum ipsis initum,
 nostrû quoq; modo pro tua misericordia ne
 obliuiscaris, verum te iudicij & veritatis
 ostendas amantem, declares equitatem, iu-
 stitiam & reſtitutionem tuæ volûntatis. Per-
 spicis causam quare a deo vexamur à nostris
 hostibus, nimirum inimicitias et odiû quod
 susceperunt aduersus pietatem, religionem
 atq; puram inuocationem tui nominis: E-
 uangelium ferre non possunt vt vigeat in
 nostris Ecclesijs, idcirco tanto studio se pa-
 rarunt ad nos deuorandos. Tu itaq; redemptio-
 nẽ mittas populo tuo: pactum tuû quod ha-
 bes cum Ecclesia sanctum, sit & sempiternû
 cuius nomine oramus abs te eripi, quo om-
 nes intelligãt bonitatem tuam, maiestatem
 reuerentiam

reuerentur ac timeant: nos verò tuas æternam laudes celebremus, per I. C. D. N. Amē.

EX EODEM.

SI diligenter à nobis peruestigarentur, Omnipotens Deus, opera tua, eorum infirmitatem et rectitudinem toto corde fateri cogemur: quandoquidem in creaturis nil se offert nobis nisi magnificū, eximiū atq; celeberrimū. Deinde quæ erga homines ædis tuæ bonitatis insignia, æternæ sunt memoria, et nullis seculis tradenda obliuioni. Nunquam hæcenus id cōmisisti vt tuos fideles desereres, qui semper fœderis cū illis initi fueris probè memor. Quæ ad corporis salutē pertinent affatim suppeditas, magnifica hereditate ornas, & doctrina ac præceptis utilissimis instituis. Adijcis præterea ingentes promissiones veritate firmissima communitas, demumq; à seruitute & oppressione consueuisti eos eripere. Quibus rationibus freti, te nunc supplices accedimus, precando, vt quibus te offendimus nostris grauissimis peccatis velis ignoscere, & ex imminentiibus malis liberare, quo initium sapientiæ timorem tuum, & verum tuæ legis intellectum, vacui metu, & ab impijs liberi consequi mereamur, per Iesum Chri. dominū nostrū, Amē.

P R E C E S

EX EODEM.

DEbetur tibi, Deus Opt. Max. laus nō
 ficta, sed quæ ex animo tum priuatim
 tum publicè effundatur: nam tua gesta, qui
 bus tibi nos asseruisti, adeò sunt omnibus ad
 miranda, vt à pijs non absque summa vo-
 luptate peruestigentur. Nec dubitamus te
 pro salute nostra esse adhuc ea facturū quæ
 memoria æternæ consecranda erunt: non e-
 nim suspicamur te vnquam obliuisci posse
 fæderis quod non semel cum tuis fidelibus
 inire dignatus es. Versatur ob oculos, & scri-
 ptura passim commemorat, quomodo pactis
 perpetuò cōstantissimè steteris. Patres quip-
 pe non solum ex Aegypto eduxisti, verum
 illis per desertum mirabili clementia escam
 suppeditasti, atq; illos, vti promiseras in ter-
 ra Chanaan collocasti. Precamur ideo pater
 optime, vt non minus erga nos tua miseri-
 cordia & veritas declaretur. Quare vni-
 us sermonis potentissimam emittas, qua in
 Ecclesia cultus tui nominis ab erroribus &
 tenebris vendicetur & quod te rectè cole-
 re initium est & columen vniuersæ sapien-
 tiæ, contingat nobis tandē id fœliciter asse-
 qui.

qui, per Iesum Christum dominum nostrum,
Amen.

EX PSALMO CXII.

Quoniam, te optime pater, debito studio non coluimus, neque mandatis tuis, uti par erat, obediuimus, idcirco nos modo hæc aduersa & difficilia tempora exceperunt. qui enim te obseruant, diligunt & venerantur ex præscripto verbi tui, verè sælices degunt, in tenebris non impingunt, roborantur iustitia, ac omnes actiones suas recto iudicio disponunt. Nobis itaque omnipotens Deus resarciat tua misericordia quod nostra culpa subtraxit: concede id primum, ut posthac in via à te propostam minimè nutemus: deinde ita animos & cor nostrum confirmes, ut ingruentia mala non plus æquo metuamus, tu infirmitatem nostræ mentis suffulcias ac des ut vni tibi inuitamur. In hoc bello tam periculoso & atroci, exaltetur ac attollatur cornu populi. Vides quantopere aduersum nos improbi & scelerati hostes indignantur, si illis potentiam liceret, non solum nos & nostram euerteret, sed omnem tuum cultum pieta-

P R E C E S

tem & religionem deletam & abolitã red-
derent in Ecclesijs: dentes crudelitatis sue
exerunt, & armis ferocissimis defœuimus
absq; misericordia. Tua ergo inuicta poten-
tia & summa vi irritos facias & demoli-
aris illorum conatus, quo diffluant inanes,
& omnia illorum nefaria desyderia pereãt,
ad laudem & gloriam tui nominis, per Je-
sum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Timor tuus, omnipotẽs Deus, ingenua
uidelicet pietas, homines verẽ felices
reddit, quos alia cura non tangit quã vt
voluntati tue promptissimẽ obsequãtur. Id
circo adducimur, vt imploremus tuã mise-
ricordiã, quò velis ecclesiam ferẽ collapsam
instaurare: non enim aliter eius, imò eius po-
steritas aut præclara aut potens euadet: vn-
quam, nõ aliunde spiritualium donorũ copia
expectanda est, neq; in medijs errorũ & sce-
lerum tenebris alia ratione lumẽ erumpet.
Deinde si pietas in ea, ut oramus reuiuifcat,
officia sincera charitatis in proximos nõ de-
syderabuntur, pro se quisq; commodabit fra-
tribus, nec temerẽ aut casu, sed spirituali in-
dicio

ditio actionibus moderabitur. Quare id est
 primis efflagitamus ut in tua fiducia cōsta-
 biliamur, à quo nos vel tempestas & aduer-
 sitates, vel secundarū rerum oblectatio nen-
 tiquam auellat, per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

EX EODEM.

Quemadmodum felices viuūt, omni-
 potēs Deus, quotquot verā pietatē
 & mandatis tuis obseruādis pro-
 viribus iannuntur: ita videmus tuā iusti-
 tie fuisse valde consentaneum, ut his tem-
 porum difficultatibus in præsentiā diuexare
 mur, qui tā frigidē cultui tuo hactenus va-
 cauerimus, ac neglexerimus legi tuæ, quem
 admodum par erat, obedire. Sed tu o Deus,
 pro tua misericordia, ne velis ita nostra per-
 sequi peccata, uti merētur, sed in tantis ho-
 rum periculorum tenebris aliquam lucē no-
 bis affulgere facias, qua in Ecclesia tua in-
 flaueretur pietas, et sãcta religio floreat. Des-
 praterea, ut verbo & promissionibus tuis
 ita cor nostrū cōfirmetur, ut et si audiamus
 impēdere grauiā mala, nō tamē à tua fide et
 sancto proposito dimoueamur aut nutemus.
 Tu ipse nos fulcias, & in hoc metu efficias,

P R E C E S

vt vni tibi firmiter innitamus, quò indi-
 gnetur Antichristus, dentibus suis frende-
 at, & tabescat aduersarij tui nominis: laus
 vero & celebritas misericordiae tuae sese ma-
 gis exerat & vniuersis fiat conspicua, per
 Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXIII.

CVM nomen tuum, Deus Opt. Max. om-
 nibus viribus ac omni conatu celebra-
 ri debeat, nos haud ita viximus ante haec,
 vt laudes tuas, sicut oportuit, promouere-
 mus, imò potius tua veritas, & sanctum E-
 uangelium tuum nostra culpa & prauita-
 te male audiuit, & quod inter omnes gen-
 tes maximè commendari debuit, nostro vi-
 tio passim contemnitur. Quare agnoscimus
 & confitemur, pro tua iustitia & iudicio
 agnoscendo, nos abs te affligi & vexari. O-
 ramus tamen nihilominus, vt cum tibi,
 quo ad bonitatem & clementiam nullus cõ-
 ferri possit, nobis tandem subuenias. Consue-
 uisti pro tua infinita amplitudine, illa nos
 solum spectare quæ in cælis sunt, verum &
 ad illa contemplanda te demittere quæ in
 terris aguntur. Tuae Ecclesie itaque res af-
 ficiat

ficias intueri, & populi tui oppreffionē re-
 ficias. Quoniā iacuimus huc vsq; in vitio-
 rum sordibus, & nunc aduersorum pro me-
 ritis nostris, pondere premimur. Tu, qui so-
 les pauperem è puluere attollere, & egenū
 erigere de stercore, nostris principibus ac e-
 xercitibus brachium tui auxiliij digneris
 porrigere, & sic opitulari Ecclesie tue ne
 fiat omnino sterilis: Da vt quandoq; in pa-
 ce & tranquillitate letari possit, da per
 verbum & spiritum tuum multorum libe-
 rorum tibi matrem fieri, à quibus, vti de-
 cet, nomen tuum perpetuis laudibus cele-
 bretur, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

EX E O D E M.

Q Vicunque fide & sincera pietate,
 omnipotens Deus, tuo cultui addi-
 ti sunt, laudes immortales nomi-
 ni tuo debent, quas in omni loco perpetuis
 annis, diebus & horis tibi persoluant. Ea
 declaratur in nos tue bonitatis magnificen-
 tia, vt non minus te clementem quàm inui-
 ctum omnibus fatendum sit. Licet enim sub-
 limis in altissimis cœlorum tractibus dica-

P R E C E S

vis tuam collocasse regiam, nihilominus pro
 uidentiam ad humilia quæq; demittis, que
 in infimis terre latibulis geruntur, ita ut
 nihil vel in cælo vel in terra fieri possit,
 quin à te clarè & patentissimè spectetur.
 Atque idcirco cum nostra non ignorari abs
 te intelligamus, tuusque sit perpetuus mos,
 ut egenos ac tenues, modo tibi fidant, è se-
 do & sordido puluere ad nobilia & præcla-
 rissima excites regna, & effætas sterilesq;
 mulieres frequenter augeas copiosa fa-
 milia, te supplices imploramus, ut iam ca-
 lamitatum Ecclesiæ te misereat, quo per te
 tandem fiat illustris & clara, que & sordi-
 da & puluerulenta incedit: quæque vide-
 tur desijisse parere, numero filiorum solido
 iustoq; gaudio letetur, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXIII.

Quando tua inuicta potentia, ele-
 mētissimè Deus, à seruitute Aeg-
 ypti populus Israel est assertus,
 & Aegyptij crudelis & obstinati animi iā
 pœnas satis graues dederunt, Iudeorū gen-
 tem paterna diligentia & singulari affe-
 ctione

Etione suscepisti curandam, & idcirco admi-
 randis exemplis atq; fauore effusissimo, te
 illis in maris Erythraei diuisione, in montis
 Sinai admirando tremore, vndarum Iorda-
 nis recessu, & miro è petra aquarum fluxu
 apertissimè declarasti. Vnde non obscure li-
 cet intelligere, omnia benè cadere, & obse-
 qui hiis quos dignatus fueris in albo tuorum
 scribere. Idcirco in nobis excitatur viuacis-
 sima spes, vt cum ad tuum genus per adop-
 tionem fidei nos pertinere nō dubitemus, fo-
 re vt quemadmodū tua iam gratia ab eter-
 ne mortis calamitate sumus erepti, ita etiā
 quicquid in creaturis est, siue prosperi siue
 aduersi speciem habeat, sanctæ Ecclesiæ tuæ
 ad salutem tandem esse fœlicissimè condu-
 cturum: quod vt sentimus nostra peccata iu-
 re & merito plurimum remorari, sic preca-
 mur, vt pro tua misericordia & promisso
 fauore celerrimè perficiatur, idq; nomine
 Domini nostri Iesu Christi filij tui, qui te-
 cū viuuit & regnat in secula seculorū, Amē.

EX PSALMO CXV.

DŪM misericordiā tuā, omn. Deus im-
 ploramus qua releuemur à premētib.

P R E C E S

calamitatibus, non id solum agimus, vt ipse
 tuo beneficio recreemur, sed vt ex nostra li-
 beratione euadat nomen tuū illustrius. Ete-
 nim videmus si tuos iacere permittas, futu-
 rum id facile, vt exprobretur eis à filiis hu-
 ius seculi vanam esse spem quam in te vnū
 collocarunt. Quod ad nos attinet, illustrati
 gratia tua probè nouimus, quicquid est bo-
 norū huius mūdi, ex quibus increduli sua si-
 bi confinxerūt idola, neq; vires neq; faculta-
 tes vllas habere ad homines beatos. quāuis
 ab eis & colantur & obseruentur. Quare id
 nobis reliquum intelligimus, vt quicunq;
 tuo præditi sunt timore, & ad Israelem spi-
 ritualem pertinent, regnoque & sacerdo-
 tio Christi inserti sunt, vt vnum te sibi au-
 xilium & defensorem constituent. Quod si,
 vt facere tenentur, fecerint, indies maiores
 verorum bonorum accessiones consequen-
 tur. Vnde te vehementer oramus, vt qui ca-
 lum inhabitas, & nos, dum hanc vitam co-
 limus, in terris versari statuisti, sic viuere
 concedas, vt non instar mortuorum, à qui-
 bus tua præconia silentur, hic degere sinas,
 Verum cupimus vt sermone et sanctis actio-
 nibus tuæ laudes æternum à nobis prædi-
 centur,

centur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXVI.

Tu maxime declaras, omnipotens Deus, charitatem tuam erga pios, cum implorantibus opem tuam in medijs aduersis casibus ades: & quo grauiora illa sunt ex quibus illos eripis, eo testificatio est amplior tue beneuolentiae in ipsos, & magis inflammantur omnium animi, ut in suis difficillimis ex temporib. ad te confugiant. Nos itaque deiecti admodum, & ultra quam possumus ferre, pregrauati peccatorum sarcina, te supplices inuocamus: quique & homines experti sumus mendaces esse, & omnem spem fallere, quae in rebus creatis collocata fuerit te quanta possumus cum uehementia rogamus, ut nobis, quae flagitiose ac turpiter admisimus, condones, & à tua Ecclesia eas auertas poenas, quas nostra peccata comeruerunt, ut, gratulabundi coram te, adiuti, calicem gratiarum actionis epotemus, tuamque in nos summam pietatem omnibus testatam faciamus. Vtque non solum mors sanctorum, sed etiam illorum afflictio & gemitus iam

P R E C E S

inde ab initio semper tibi cura fuit, ita precamur, ut modo languentis Ecclesie ac penè confectæ te misereat, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXVII.

Condidisti humanum genus, omnipotens Deus, ut omnes gentes ad communes laudes tui nominis cõiangeres, quod ut fieret, antiquitus Patriarchas, Prophetas, & Apostolos ad hoc munus destinasti, atq; modo cum essent iam omnia tenebris, abusibus, & contaminationibus violata, ad illud idem opus sic nos in Ecclesiam cõgisti. Quod ut cõmodè & quàm aptissimè valeamus efficere, oramus ne nobis obstant iniquitates & peccata nostra, quæ ut grauias & innumera esse fatemur, ita abs te deleri atq; ignosci suppliciter poscimus. Iam sumus, uti vides adeò periculis circumuallati, & tantum non oppressi, ut in te vno solum collocauerimus nostrum refugium. Quare videas quaeso, ut nostra fides tuo spiritus fulciatur, ne in his difficultatibus corrumpatur. Pone nobis precamur ob oculos bonitatem qua semper pios es prosequutus, ut illam ple-

et perspicaciter agnoscentes, non dubitemus et in presentia te fore Ecclesie tue fidelem tutorem, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM laboraret hominum genus, Deus Opt. Max. summa cecitate, atque in finitis malis obrutum esset, adfuit illi tua ineffabilis clementia, qua filium tuum unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum, pro mundi salute dignatus es tradere: ideo immortales à nobis tibi debentur gratia, qui nos videamus nequaquam ex meritis, verum ex mera solidaque tua bonitate servatos. Cumque in tuis promissis adeo constantem et bonae fidei simus experti, equum est, ut quae pauca implenda adhuc supersunt, non dubitemus tua summa misericordia atque inexhausta bonitate, tempore abs te de finitio perfectum iri. Idcirco te rogamus ut spiritu fidei nostros animos ita corroboret, ut credentes absque ulla hesitatione, non solum apprehendamus bona quae offers, verum de tanta liberalitate, in Ecclesia meritas gratias tibi cum omnibus gentibus et populis aga-

P R E C E S

mus, per Iesum Christum dominū nostrum
Amen.

EX PSALMO CXVIII.

QUicumque Deum timent, Christo sunt inaugurati, & studio tenentur pietatis, ad nomen eius celebrandum quotidie alliciuntur, & inuitantur nouis rationibus ac infinitis beneficijs: qui cum diuinæ bonitatis tantā vim agnoscant, vt eam inuocantibus præsto sit, & ex omni periculo atque anxietate liberet, eō securitatis & fiducia adducuntur, vt nihil metuant hominum vires quantumuis potentium. Quare cum in præsentia & nos eadem sentiamus, tibi vni committimus, omnipotens Deus, salutem nostram, te que oramus, vt Ecclesiam iam vndiq; circum vallatam & obsessam extremis periculis dignetur tueri. Commeruerunt iniquitates nostræ longè grauiora: fatemur enim te, ô Deus, miserè & grauitè offendisse, verum hæc opus pro tua singulari clementia, vt nostræ mala vincantur à tua misericordia. Des itaque vt castigati abs te, tanquam immorigeri atq; rebelles filij, non ita euerfioni ac exi
tio

tio tradamur, vt non liceat in cœtu iustorum, intra portas regni tui celebrare, laudare, atque ornare opera tua. Qui modo repro-
bamur, abijcitur & omnibus ferè sumus
opprobrio, concede vt in tantum euehamur
iustitiæ, sanctitatis & probæ vitæ, vt om-
nes intelligant, quicquid molimur aut mo-
liti sumus in religione, haud hominum, sed
tuum ipsius opus esse; per dominũ nostrum
Iesum Christum, Amen.

E X E O D E M.

TAM grauibus calamitatum procel-
lis, omnipotens Deus, assiduè pulsa-
mur, vt solum misericordiæ tuæ acceptum
referendum sit, quod sub eis non prosterna-
mur: Sed re ipsa iam compertum habemus,
nil posse humanas vires ad eos opprimen-
dos, quos ipse ad salutem destinaueris. Qua-
re cū videamus fallaci spe lactari qui confi-
dunt hominibus, hanc iudicamus esse pio-
rum hominum summam sapientiam, vt nul-
li mortalium posthac fidant, sed in te vno
spem suam collocent. Idcirco, optime pater,
oramus, vt tamen si interdum iratus, & me-
rito, nostris peccatis, castigaris aut retude-

P R E C E S

ris nostrā cōtumaciā, nō abs te tamē deficiamus Quod utique fiet, si nos dignatus fueris edificare super illum lapidem angularem atque firmissimum, qui ut ab hominibus abiectus fuit & improbat, ita est ad summum gloriae fastigium abs te prouectus: per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

EX PSALMO CXIX.

TV semper, Deus Opt. Max. nos pro tua ineffabili clementia, & summi & copiosissimi beneficijs perpetuo affecisti: sed nos vicissim, qui tua iussa obseruare omnino studio debueramus, ea miserabiliter transgressi sumus, & nobis ipsis mala, quib. premimur, accersuimus, neq; iure cōqueri possumus, ab Antichristo & eius membris peius fuisse acceptos atq; simus cōmeriti. Insuper experti sumus, nos abs te non furore, sed paterna misericordia castigari. Vnde ad te qui percutis confugientes, hęc petimus. Salubri luce tua oculos mentis nostrę retegas, ut ad tua opera admiranda non cecutiamini: dum peregrinamur in hoc seculo precepta tua

tua non celeantur nobis, fac ut ardeat perpetuo animus noster flagrantissimo desiderio erga ea quæ præcepisti. Da ut posthac non mereamur increpari inter flagitiosos, aut execrationibus deuoueri, quod à præceptis tuis longè aberrauerimus. Vides probra & ignominias quib. passim afficimur ab hostibus tuis, & quomodo principes ac rectores huius mundi cum aduersum nos consedisent, non tantum loquendo, sed omni suo conatu sint adnixi à sincero verbo tuo, à sancto cultu, & puris ceremonijs tuis nos auertere. Tu itaque vi & potentia tua nos ita confirmes atq; viuifices, ut verissimas atque certissimas esse tuas promissiones experiamur, per Ie. Ch dominum nostrum, Amē.

Beth.

Aleph,

N

ILLI sunt inter mortales, Deus Opt. Ma. habendi verè fœlices, qui legem tuam ob oculos mentis propositam perpetuo habent, quam & formam retinent instituendarum actionum, & regulam iam cæptis adhibēt, ut si qua fortassis aberrauerint, et corrigāt & ad iustitiā restituāt. Hi vitā innocenter viuēt, & cū facta eorū iudicio equo aestimabuntur, non pudebunt. Idq; maximè proderis.

P R E C E S

si à tenera etate fuerit sedulo vsurpatum.
 Sed omne humanum studium, prorsus, opti-
 me pater, inutile ac vanum esse agnosci-
 mus, nisi tu spiritu tuo adsis, & nostros ani-
 mos doceas: quid alioquin meditatione le-
 gis tue consequimur nisi frigidam atque
 damnosam notitiam? Quare te precamur, vt
 non solum vires, tua gratia, suppedites ad
 illa implenda quæ in lege præcipis, sed eti-
 am id efficias, vt nobis præ omnibus nostris
 institutis placeant, magisq; nos oblectemur
 ea exequendo quàm vllis carnis vel mundi
 delitijs, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

Daleth. 7

Gimel. 7

CVM abs te pendeant, Deus Opt. Max.
 nostræ vires, & absq; tuo auxilio nil
 quod tibi placeat possimus efficere, merito
 ad te confugimus, vt ope tuæ gratiæ actio-
 nes nostras legibus tuis prorsus conforme-
 mus, quod minimè fiet nisi ab oculis nostris
 velum remoueas, quod perpetuo male cupi-
 ditates inter nos & doctrinam sanam inter-
 ponunt, vnde salutaria, quæ ibi præcipiun-
 tur, non attendimus. Procul etiã quæsumus
 abigat

abigas mentis tumorem animiq; elationem
 qua solemus humana instituta & hominum
 inuēta impendio admirari, ita vt nobis tua
 prae illis interdum sordeant: idq; maximē
 quando magnatum, & huius mundi time-
 mus opprobria & odiū subire. Idcirco quan-
 do animum ita in diuersa dissectum habue-
 rimus, tu o Deus tuo verbo nos recrees, &
 animi sollicitudines, plus a quo anxias, tran-
 quillitate spiritali sedare digneris, menda-
 cijs autem huius vitæ, quæ alioquin blan-
 da sunt, ne sueris nos decipi. Nam si semel
 spiritu nostrum cor angustum dilataueris,
 nil nobis esse poterit impedimento, quin ad
 tua peragenda mandata quàm expeditissi-
 mē curramus. Quod vt demum impetremus,
 quanta cum intentione possumus obsecra-
 mus, per Iesum Christum dominū nostrum,
 Amen.

Vau. 7

He. 7

DUM expendimus, omnipotens Deus,
 infirmitatem nostrarum virium, ac
 ex altera parte summam tuæ legis absolu-
 tionem, liquidò intelligimus, ad obediendum
 illi omnino opus esse nobis tuo potentissimo

P R E C E S

auxilio: velis itaq; imprimis nos ipse docere veras tuorum mandatorum rationes, nobisq; præterea intellectum ac mentem illumines, vt ea quæ docueris valeamus percipere. Largiaris deinde necesse est, vim & facultatem exequendi quæ abs te didicimus, alioquin parum aut nihil profuerit cognovisse, ni aliqua præstetur vel inchoata salutem obedientia, cui prava cordis nostri inclinatio, multum obstat, sensus demum & corruptæ affectiones plurimum aduersantur. Ideo succurras ipse, precamur, tua gratia & largo fauore, vt quicquid admisimus & quotidie peccamus contra legem tuam, remittatur, neq; ad mortem æternam imputetur. Atqui interim declaræt se, ô Deus misericordiæ in salute & defensione Ecclesie, quam vides periculis, probris & multis afflictionibus diuexari, ne sinas illi te eripi: vtq; tuo verbo, aut legitimo sancto atq; sincero cultu expolietur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

Heth. ¶ Zain, ¶

AD te confugimus, omnipotens Deus hoc difficillimo tempore, quando Ecclesiam tuam videmus tantopere affligi, &

id quidē nostris malis meritis : peccauimus
tibi, iniquē egimus, & legem tuā innume-
rabilibus modis transgressi sumus, vnū tan-
tammodo est quod nostras erigit spes, & in
hū tribulationib. maximē consolatur, quod
te scimus probē memorē promissionū tuarū
erga seruos tuos. Peccata & vita antea cta
nos vehemēter coarguūt. Rogamus itaq; vt
nos viuifices atq; erigas misericordia tua,
quam videmus nobis offerri in promissionē
vni sacrarum literarum: fac quæsumus, vt
à lege, quā nobis proponere dignatus es, nō
desectamus, quantumuis impij nos vexent
atq; subsannent, cupimus tibi indiulsē ad-
hererere. Suscepisti sepius aliās iudiciū &
causam seruorū tuorum, dū extremis penē
mergerētur calamitatib: quare & nunc ne
deseras ad te clamantes. Nil aliud cupiunt
hostes tui, quā sacra verba, ceremonias, et
omnē pium cultū auferre ab Ecclesia tua.
Quando tu nobis es vnica sors, faciē tuam
ex toto corde suspicimus: antequā improbo-
rum & sceleratissimorū turmæ nos absor-
beant, tu pro tua bonitate nobis adsis & fa-
ueas, quo diu noctuq; valeamus incumbere
ad te celebrandū ob tua iusta iudicia, per Je-
sum Christum dominum nostrum, Amen.

P R E C E S

Heb. ̄ Zain, ̄

NON aliunde spem concepimus, omni-
 potens Deus, nostræ salutis quam ex
 tuis fidelissimis promissionibus, atq; ex illis
 duntaxat haurimus firmam consolationem,
 si quando vel caro vel humana ratio, aut
 diabolus, aut impij nobis ferocius insulta-
 rint. Aduersus hæc omnia obfirmamus ani-
 mos, te plenissimè omnia quæ promissisti per-
 fecturum esse: quia dum ab antiquissimâ
 vsq; seculis tuam fidem animo repetimus,
 nunquam te quempiam fefellisse apparet.
 Largire itaq; ut huic firmissimæ rupi, inex-
 pugnabili munitioni, ac benè iactæ ancho-
 re noctu diuq; indiuulse adnitamur. Cumq;
 te peracturum esse perfectissimè tuas par-
 tes non dubitemus, id superest ut summo stu-
 dio sortem obeamus quæ nobis relicta est,
 ut gressus & pedes nostros quàm expedi-
 tissimè concitemus ad legem tuam imple-
 dam. Tu quaesumus, optime pater, fac ut ab-
 rumpamus moras, & impijs omnibus inui-
 datis tuis morigeri simus, atque omnes qui
 te purè colunt, socios nobis adiungamus, ut
 quemad-

quemadmodum terra bonis tuis vndique re-
ferta est, sic indies te verè inuocantium nu-
merus amplior fiat, per Iesum Christum do-
minum nostrum, Amen.

Iod.

Teth, U

HAftenus, omnipotens Deus, consueui-
sti benignè facere cum seruis tuis, &
nos potissimum cum per tuam misericordi-
am adducti simus ad Euangelij notitiam,
tua beneficia singulariter experti sumus,
que ingenuè fatemur atq; agnoscimus nos
contaminasse nostris peccatis, quibus non so-
lum nos metipso depraauauimus, verum e-
tiam propterea nomen tuum, & doctrina fi-
lij tui blasphemata est inter infideles, ac
plerique à via veritatis nostra culpa abster-
viti. Nunc itaque precamur te cælestis pa-
ter, facias nos rectè sapere, ac te ita cognosce-
re, vt verbis ac præceptis tuis constantissi-
mè adhareamus. Afflictiones quibus premi-
mur sint nobis stimuli efficaces ad redeun-
dum in viam: cum tu bonus sis atq; benefi-
cus in omnes, ne patiaris quos tibi per Chri-
stum in filios cooptasti turpiter degenerare.
Quo magis diabolus Antichristus, & eius

P R E C E S

mancipia summis conatibus moliantur nos
 abs te diuellere, tu contra efficias. quāsu-
 mus, vt obseruemus toto corde mādāta tua.
 Cadat Ecclesie tuæ in bonum quod per istos
 impios sit afflicta. Cor nostrū alioquin cras-
 sum & pingue emolliatur, ad verba & le-
 gem tuam benè percipiendam, vt ei omni
 auro argento & mundi thesauris potior ha-
 beatur. Ne deseras, ô Deus, opus manuū tua-
 rum quod ipse fecisti et ornasti. Pudefiāt fla-
 gitiosi, qui vias tuas nephario studio conan-
 tur euertere. Qui verò te colunt & pura si-
 de ad promissa tua suspiciunt, in te demum
 latentur: fruantur bonitate tua & tibi æ-
 ternum viuant, per Iesum Christum domi-
 num nostrum, Amen.

Iod. Teth, ^U
NIL est nobis, Deus Opt. Max. vel opta-
 tius vel antiquius, atq; abs te facul-
 tatem impetrare, qua recto iudicio sermo-
 nes tuos intelligamus, idque adeò cupimus,
 vt id etiam quauis calamitate redimere pa-
 rati simus. Quare si videris iniquo fortuna-
 successu vel incōmodis rebus posse tuos ele-
 ctos, qui subinde labuntur, ad mentem redi-
 re, cures quam melius visum fuerit, vt legi-
 tua

tue attento pectore incūbamus. Cumq; nos
 tuis manibus dignatus sis in utero matris
 effingere, tu idem sic foueas & illumines, vt
 in sermonibus veritatis non cacutiāmus.
 Atq; ista dum petimus, optime pater, nō so-
 lum oppido nostrum solatiū quærimus, sed
 omnī apud quos & lex tua & veritas pon-
 dus habent. Hi enim mirificè latabuntur, si
 conspicati fuerint synceris animis nos om-
 nes tibi adherere. Quare obnixè petimus,
 vt voluntas tua quam nobis in sacris lite-
 ris declarasti, & charior nobis fiat auro, &
 omnib. diuitijs amabilior, quo eam & inte-
 gro corde complectamur, & nil quod tente-
 mus vel nobis vel Ecclesie in dedecus re-
 dundet, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

Lamed. 5 Caph, 2
CUM ad promissa tua, omnipotēs Deus
 hoc nostro tempore vnicè suspiciamus
 ac ferè defecerit anima nostra expectatio-
 ne opis tuæ, dū ab oculis nostris videtur sa-
 lus euanescere, tu, opus est, vt adsis & nos
 cōsoleris Ne respicias quæsumus, nostrā debi-
 lē fidē, vitia & prauas actiones quib, nomē
 tuū deturpauimus, & S. Euan. male audire

P R E C E S

fecimus. Fac, o Deus, ut quod vite nostre
 superest temporis, id totum pijs & religio-
 sis actionibus mancipemus: nam si istud im-
 petrare poterimus, non dubitamus te de-
 mum iudicia tua declaraturum in hostes
 qui nos tam acerbè insectantur. Et ipse vi-
 des quàm immerito: nam etsi ita grauitè
 peccauimus, ut duriora, quàm ista sint, no-
 bis accersuerimus supplicia, tamen haud
 propter nostra peccata istas foveas nobis fo-
 derunt aduersarij, sed ob religionem aliquã
 to expurgatam, & tuum cultum instaura-
 tum nos persequuntur, imò extinctos vel-
 lent. Tu itaque, optime pater, pro tua boni-
 tate nos confirmes & robores, da ut perpe-
 tuo in Ecclesia verbum tuum perstet & ne
 pereamus in hac afflictione: illo nos oblectet
 & recreet, cumque tui simus & humani
 frustremur auxilijs, ab imminentibus peri-
 culis tu ipse nos & serues & tuearis, per Je-
 sum Christum dominum nostrum, Amen.

Lamed. 7 Caph, 2

IAM Deus Opt. Max. præ anxia expecta-
 tione defecerunt animi nostri, dum à te
 vno speramus & auxilium & salutem. Ad
 10.

te, inquam, diu noctuque suspicimus, ut tandem aliquando cōtingat seruis tuis frui speratis promissionibus, atque id nobis interrim dari cupimus, ne, dum in medijs calamitatibus opem differs, villo pacto legis tue obliuiscamur. Vt enim manet constans in pulcherrimo cœlorū ornatu, & durat per eam in terra firmissima stabilitas, atq; illa perseuerat utilis & speciosa temporis varietas, ita precamur, ut in cordibus atque visceribus nostris nulla vetustate aboleatur, quod, nisi de ea perpetuo meditemur, facile in afflictionibus peribimus. Cum itaq; verbum tuum sit quod nos viuificat: nam illi si crediderimus & salutem & iustitiam assequimur, neq; iniurijs aduersariorum permouemur: hoc nobis, optime pater concedas, ut in animis nostris nunquam intercidat, ut que potius omnium aliarum rerum finem videamus, quàm sermones tuos in Ecclesia vel consumi, vel obliterari, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

Mem.  Lamed, 

QVI sermonibus tuis, Deus Opt. Ma.
Incumbunt, ex illis nō paruum fructum tandem percipient: nant

P R E C E S

prudētia & cognitione cælestium rerum
 non solum hostes suos vincēt, sed illos quoq;
 superabūt, quibus tum propter doctrinam,
 tum propter experientiam longe vitæ mul-
 tum tribuitur. Quo itaq; nō fraudemur ran-
 to commodo, precamur, vt à peccatorū pra-
 uitate auersi, præ omnibus delitijs verbis
 tuis nos oblectemur. Et cum nostra hæc vitæ
 cæcis tenebris vndiq; circūfundatur, aliā
 lucernam, quæ præluceat nostris mentibus,
 non possumus habere aptiorē quam eloquia
 tua: illis instar lucis purissimæ humanum
 iter debet regi, atq; id maximè, cum res ipsa
 declaret quēq; nostrum animā ob maxi-
 ma pericula in manibus assidue portare.
 Non desunt vbiq; satellites aduersariarum
 potestatum, qui nostræ saluti mille tendunt
 laqueos: quare enixè, vt possumus, te roga-
 mus, vt nostra corda permoueas ad tua man-
 data complenda, quæ tantis promissionibus
 dignatus es ornare, per I. C. Dñm. N. Amen.

Nun. 1

Mem, 2

EA est vis, omnipotens Deus et legis &
 sermonum tuorum, vt qui illos diligūt,
 & de eis perpetuo cōmentantur, indies pra-
 dentiores fiāt, & cunctos mortales intelli-
 gentia superēt, etiamsi docti sint, & quo ad

etatem seniores: iuuatq; illud studium mi-
 rum in modum ad retrahendum pedes à semita
 prauitatis, ac nostros alioquin infirmos gres-
 sus confirmat, ne à tuis mandatis peruersè
 declinent. Cum itaq; antea cta vita miserè
 lapsissimus, ac fœdè peccauerimus apertè ostē-
 ditur quam iusta neglexerimus verba, pro-
 missiones, ceremonias & vniuersam legē
 tuā. Quare haud mirari debemus aut cōque-
 ri quod modo abs te affligamur iniuste: hoc
 planè deprauatis & corruptis nostris mori-
 bus cōmeriti sumus, ut adedò iniqui & cru-
 deles hostes contra nos insurrexerint: non
 certe ista nobis contigissent, si mandatis ac
 sermonibus tuis pro lucerna pedibus nostris
 perpetuo vsi essemus. Verū nunc ò Deus te
 obsecramus per viscera infinita misericor-
 diae tuae, ut respicere digneris grauiā discrimi-
 na in quæ deducta est anima nostra: da
 veniā precamur, nostris peccatis, ac nostrū
 cor facile ac procliue reddas ad faciendum
 mandata tua, & à laqueis nos eripias quos
 inimici sancti nominis tui tetenderunt no-
 bis: & quos in sempiternā hereditatē tuam
 tibi vendicasti, ne opprimi & calamitosè
 perire sinas. per Iesum Ch. Dñm. No. Amen.

P R E C E S

Ain. V

Samech. D

Qui tuo spiritu illustrati sunt, omnipotens Deus, quicquid est iniquitatis aut peccati maximo odio prosequuntur, atq; ideo te refugium & clypeum suum constituerunt: quodq; manifestissimè videant illos beatè atque feliciter viuere, quos ipse tua vi & potètia confirmas, quos que sustentas & foues, hi à grauissimis periculis eripiuntur: ac è diuerso pœnas horrendas luunt quotquot abs te recesserint, & à tuis mandatis deuiarint. Quamobrem precamur vt nos ijsdem rationibus adducti, cum tibi vni adhareamus, cum omnium tuorum præceptorum reddamur studiosissimi. Exercent aduersum nos perpetuas inimicitias caro & aduersariæ potestates: ne sinas nos illis perdendos tradi, imò sermonibus tuis attentos detineas, atq; ipsis, vt summis voluptatibus, nos oblectes: ad quod adipiscendū opus est, vt quæ tua est misericordia nos doceas. Non enim absq; tuo spiritu diuinarum rerum intelligentia procuratur. Idcirco tu ipse præstes, vt de tua lege quàm rectissimè iudicemus, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

Pe. 5

Ain 7

Sic verba tua, omnipotens Deus, vndiq;
 sunt admiratione digna, vt pijs homi-
 nibus nunquam cura esse non possint, ideo
 te rogamus vt totus placidus, qua es miseri-
 cordia & bonitate nos respicias, atq; ita no-
 bis animos & actiones effingas, vt impieta-
 ti, qua nil vanius est, vlla ex parte locū non
 demus: & cum homines simus atq; ob id car-
 nis pondere circumdati, non sinas eius graui-
 tate nos opprimi, sed potius spiritum pœni-
 tentia affles, quo propter lapsus passim ad-
 missos quàm largissimos lachrymarum ri-
 nos effundamus. Quandoquidem iustissimū
 te iudicem habemus, qui peccata neq; dis-
 simulas neq; sinis impunita esse: & iudicia
 legesq; tuæ tāta iustitia sunt referte, vt nil
 in eis contineatur, quod sana ratione vlla
 creatura possit reprehēdere. Argentum vel
 aurum diligenter igne excoctum non æquat
 illorum puritatem: ideo te etiam atq; etiam
 oramus, vt ea non solum nos cognoscere fa-
 ctas, atq; eis obedire quantum per nostram
 infirmitatem potest fieri, per Iesum
 Christum dominum nostrū.

Amen.

S 5;

P R E C E S

Zade. ¶

Pe, ¶

Habemus, Deus Opt. Max. ex genuina calamitate densis tenebris mentem obfuscata, ne tua mandata perspicue valeat intelligere, atq; nativis cupiditatibus propensi vehementer sumus, ut quae tibi displicent nobis summopere arrideant, & impiorum derisiones quibus nobis insultant, quando ad inseruiendum tibi animum appellimus, tollerare non possumus. Adcirco te oramus, ut mentem illustres, pravae affectiones compescas, ac ita robares, ut quicquid nobis propter tuum Evangelium impedit ignominiae, forti animo deoremus: His qui nobis insultant, firma spe & solida promissionum tuarum fiducia resistamus, & pravaru cupiditatum impietas veritatis tuae vi frangatur. Non impediat nos, optime pater, vlla mundi potentia, quin audacter coram omnibus quantumvis splendidis atq; magnificis tua decreta defendamus: Quae nobis quae so tam dulcia reddas & suavia, ut nil in vita eis antefendum iudicemus, nec aliquid obstare possit, quin summa animi alacritate ea facienda capessamus, per I. C. D. N. Amē.
Res.

Res. 7

Cuph, 7

EX toto animo & integra fide, omnipot.
 Deus, tibi supplicamus, ut legis & mā-
 datorum tuorum simus quān obseruātissi-
 mi: impetu enim carnis, & ferocia natiua
 corruptionis ac insiti vitij, mirabiliter im-
 pellimur ad tua violanda præcepta, cumq;
 nos deuinxerimus iā plurib. grauissimis ac
 nefarijs peccatis, non est mirū, si tu, qua ex
 iustitia atq; seueritate in tuos, ita permise-
 ris nos ab Antichristo & eius gregalib. & di-
 uexari & perterreri. Sed nūc pro tua pieta-
 te atq; misericordia ignoscas, q̄sumus, quic-
 quid in te peccauimus, & oculo & vultu
 clemēti inspectes res Ecclesie propè accisas
 & fractas eamq; redimas, ut sepè aliās con-
 sueuisti, ab imminētib. periculis, cū tuo solū
 ductu atq; imperio seruari possit. Ab impi-
 is, o Deus, par est, ut procul salus absit, nā.
 uerbū, legē & mandata tua prorsus negli-
 gūt. At secus est de his qui in te sperāt: ha-
 bēt quippe de sua salute promissiōes, quarū
 omnium est summa & integerrima ueri-
 tas. Quare ut illæsa ac inuiolata cōseruetur,
 tu ipse nos serues, dum ita pro nomine tuo

P R E C E S

periclitamur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

Res. 7 Cuph, 7

Quoniam carnali affectione, Deum Opt. Max. quiduis potius quam tuam legem nobis persuadetur, ideo quotidie ad te precibus confugimus, ut ipse tuo spiritu nos ad eius observationem inducas. Ne itaque in cassum clamemus, tu cor emollias, & ita flectas animos ut non alia cura magis teneantur quam tibi per omnia obsequendi. Hoc unum in noctis vigilijs & diei crepusculo meditemur, quia cum turba non desit nos alio rapiantium, tua protectione aduersus eam muniamur, ut que tua decreta certa sunt & firma, ita eis constanter adhereamus. Nam qui ab ipsis discedunt acti in transuersum, a salute quam procul errant: unde si nobis, id, ut infirmi sumus, acciderit, cito succurras, & iacentes releues, & quamuis malam habeamus causam, nos tuo praconio defendas. Nosti, optime pater, quam multi conentur nos perdere: ideo celeri auxilio festines, & inuocantes te promissionum tuarum fiducia robustissime confirmes,

firmiter, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

Tau. ̄ Schin, ̄

Verè sine vlla causa, omnipotēs Deus, premunt Ecclesiam tuā diabolus Antichristus & principes huius mundi, atque contra pietatem ita videntur exultare & furere, vt non immerito fideles perterreantur, quibus eloquia tua solum possunt letitiam renouare atq; instaurare: eorum itaq; nos incites, tuo spiritu, vt simus perpetuo studiosissimi. Scimus his qui legem tuam diligunt oriri pacem, augeri & retineri, ita vt illis reuera nil vnquam noceat, quod si nunc à vera pace & animi consolatione sumus inopes, proculdubio hinc dependere oportet, quod verba tua negleximus, & legem tuam parum sectati sumus. Ignoscas igitur, ignoscas precamur, quicquid in te nefarium & sceleratum admisimus, quo posthac à iustitia mandatorum tuorum non amplius recedamus: inde nobis petamus & veras & solidas oblectationes, in quibus animi nostri viuant, & ita viuāt, vt laudes tuas omni studio conentur exprimere. Hactenus er-

107 P R E C E S

animus instar brutæ pecudis: tu igitur opti-
me pater, qui nobis es vnica salus, ab errori-
bus & peccatis nos auoces, vt tuæ volun-
tati nos omnes prorsus addictos habeas, per
Iesum Christum dominum nostrum. Amen.

Thau. A

Schin. V

T Ametsi odia & fraudes eorū qui tuæ
glorie, omnipotens Deus in mundo
perpetuò aduersantur, & valide sint & ro-
buste contra nostrum imbecillum spiritū: at
tamen è diuerso tāta est voluptas quam no-
bis tui sermones afferunt, vt pijs iam spo-
lijs quamuis opimis, atq; omni ditissima
præda sint chariores: nosq; extimulant, vt
per vnumquenq; diem gratias tibi quā fre-
quentissimas agamus, tantum superest, vt
quam expectamus salutem, non patiaris nos
fraudari. Hac de causa oramus, vt nostris
precibus faciles aures digneris præbere, vt
cum iustitia tuæ legis tam vndiq; vera &
firma sit, de ipso tuo spiritu nos plenè insti-
tuas, vt quæ iam eo fauente, seruanda elegi-
mus, pro nostrarum virium infirmitate cō-
pleamus, & vbi carnis debilitas desicit, spi-
ritus tui vis & robur eximiū suppleat. Ha-
tenus,

Genus, Domine, vt stolidæ & seductæ ouicis
 te multis modis errauimus, & nisi tu pater
 na & pastorali prouidentia nos requiras, in
 nostris malis, facile peribimus: non itaq; pe
 riclitantes in tenebris & inter lupos diuti
 us versari permittas, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXX.

DEfesi ac vexati, omnipotens Deus
 grauiſſimis ac periculoſiſſimis caſi
 bus, ad te, vt vides, ſingulo quoq; die confu
 gimus ac ſupplices inuocamus quo tandem
 poſſimus exaudiri, vt ſcilicet eccleſia tua à
 dolis, à mendacijs et fraudibus Antichriſti
 & ſectatorū eius eripiatur. Etenim blaſphe
 mie, contumeliæ & opprobria quibus impe
 tunt atq; proſcindunt ſanctum euangelium
 tuum, ſagittis exitiſſimis conferri poſſunt,
 & carbonibus vehemēter accenſis, quibus
 piorum corda maximo dolore conſiguntur,
 & animi inflāmātur, zelo & iuſta iracūdia
 pro gloria tui nominis. Agnoſcimus quidem
 nos bene promeritos, vt ab impura huius
 modi lue & furioſa peſte exagitemur,
 nam grauiſſimè in te & Legem tuam pec
 cauimus: Verum pro innata & genuina

P R E C E S

clementia qua es præditus, precamur, ut qui tantopere studiosi sumus vere pacis ad te colendum, celebrandum & obseruandæ, ut eam aliquando tuo favore assequi valeamus, etiam his inuitis qui pacem & tranquillitatem fidelium pessimè odio habent, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Experimur, omnipotens Deus, que sit afflictio & ærumna Ecclesie, propter vitia & mendacia corruptorum dogmatum inuicta: propterea te rogamus, ut eam ab hoc genere calamitatis eripias. Quam dolosa & fallaces hæcenus fuerint Antichristi seductiones, nunc tandem incepimus intelligere. Adsint iam modo verbi tui potentia & acutissima tela, quibus omnis astutia satanæ conficiatur. Quin potius ipse validissima iacula, quibus aduersus impietatem quoadq; vteris, in hanc pestem intorqueas, quo velut ardentissimis prunis omnes malitie laquei consumantur. Alioquin si tu forti & valida manu non succurreris, nostra peregrinatio sine fine in malis & in miseris
 extra

extrahetur: Non enim est vlla spes pacis,
 vbi tua veritas pessimè odlo habetur: imò
 tanto videtur indies à tua Ecclesia longius
 ferri, quo magis est eius amans & studiosa.
 Idcirco quando aduersus spirituales nequi-
 tias, bellum perpetuo sit gerendum, tu inuo-
 cantibus te, ne tuum, optime pater, deneges
 auxilium, Per Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXI.

Summa anxietate, omnipotens Deus, in
 his nostris difficillimis casibus auxili-
 um expectamus, ad te vnum sustollentes ocu-
 los nostros, cuius potentia vt nouimus crea-
 ta cælum & terram, sic etiã credimus posse
 è presentibus periculis eripi. Fatemur qui-
 dem ea fuisse nostra peccata quæ his affli-
 ctionibus castigari meruerint: nõ enim cum
 nos ad Euangelium vocasses, tibi debitum
 prestitimus cultum & obsequium, sed no-
 stra duntaxat quærentes miserè posthabui-
 mus honorem & gloriam tuam. Non itaq;
 ò Deus, nostram hanc ingratitude & ad-
 missas iniquitates respicere velis: sed pro
 tua misericordia custodias à lapsu pedes no-

P R E C E S

fros, eos confirmando in lege & mandatis tuis, ne ab illis deflectant. Deinde in protectione atque custodia Ecclesie tue tam grauius afflicte, ne ostēderis te dormire vel dormire. Si à sole interdiu, & à luna frigore nocte defendere tuos consueuisti, ne despicias nos, qui tot & tanta patimur à furore & rabie Antichristi: non solum animas & vitam nostram ab eius machinationibus serues, verum tuearis imprimis ipsam religionem tuam, que ab ipso potissimum oppugnatur: nostrarum vero actionum initium & fines ipse dirigas in semitis verborum tuorum, ut in regula ipsorum perpetuo consistant, per Iesum Ch. Dñm. No. Amen.

EX EODEM.

DVM afflictamur, omnipotens Deus, his funestis & calamitosissimis temporibus, ad te vnum attollimus & animos & oculos, ut in quo non dubitamus esse positam omnium rerum summam potestatem, unde ad implorandum abs te auxilium vehementer inflammamur. Qua enim vi prestantissima creasti cælum & terram, iam res ipsa postulat ut eadem subuenias Ecclesie tue, cum nocent-

nocentissimorum hostium faucibus tantum
 nō absorbeatur. Ne permittas quasumus nu-
 tare aut vacillare pedes nostræ fidei: nā per
 se ipsam, qua sumus vndiq; conuestiti infir-
 mitate, satis debilis est & inconstans. Dese-
 cimus quidem nos prius abs te, & miserè
 defleximus à lege atq; decretis tuæ volun-
 tatis, verū digneris precamur agere nobi-
 scum non prout nos sumus, sed quemadmo-
 dum tu es immensa bonitas & summa cle-
 mentia. Ecclesiam benè septā & circumual-
 latam tua defensione tuearis, nam si eam tu
 ipse deserueris, qui alioquin custos es Israe-
 lis, minimè consistet: siq; tua denudetur atq;
 expolietur protectione, cuius nam alterius
 cura vel sollicitudine seruari poterit? Da, ut
 ad te colligamus & reuocemus animos, quo
 & nostrū & nostrarū omniū rerū te habea-
 mus custodem, per Ie. Ch. Dñm. No. Amen.

E X E O D E M

Quoniam omnip. Deus, malis dum
 hic viuimus perpetuo exercemur,
 ideo lustramus oculis circumqua-
 que vnde nam solidum firmumque auxi-
 lium valeat suppeditari: tuque ante om-
 nia fidei nostræ obuius occurras. Dura

P R E C E S

enim videmus te iam inde ab initio omnia
 cōdidisse & tam quæ in cælis quàm quæ in
 terra sunt perpetua bonitate fouere: preca-
 mur vt cum alioquin tua summa prouiden-
 tia interrumpi non soleat, erga nos quoque
 digneris vigilantissimum pastorem agere.
 Protegamur, quæsumus vbique tuo fauore,
 quo malarum cupiditatum nimio calore nõ
 aestuemus, aut frigore infidelitatis in cordi-
 bus nostris charitas cū erga proximos, tam-
 pietas in te prorsus extingatur. Pari à con-
 tagio vitiorum, per te vt seruemur, vtinã
 votis & precibus quotidianis obtineatur,
 eaq; sit vita nostra, vt vel eundo vel rede-
 undo & repurgemur culpis & virtutibus
 ornemur, per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

EX PSALMO CXXII.

Sancti viri mirificis exhortationib. om-
 nipotens Deus, mutuo se perpetuo inci-
 tant ad sacros cætus, vbi nomen tuum lau-
 dibus prouehitur, fideles verbis tuis insti-
 tuunt, & sacramenta ritè percipiunt. Cum
 autem in presentia cernamus parũ abesse,
 ne hoc cum summo nostro dolore ab Anti-
 christo

christo impediatur: nam prout est perditus
 & profligatus, nihil molitur aliud, nisi ut
 sancta Hierusalem, quæ utcunq; & reedifi-
 cari & instaurari cœpta est, denuò collaba-
 tur, imò funditus cadat, quo puro cultui &
 sanctæ inuocationi amplius non pateat lo-
 cus. Te optime pater, qui probè vides quan-
 tum iste impius misceat & turbet, rogamus
 ardenti animo atq; vehementi affectione,
 ut quæ ad Hierusalem, id est, Ecclesiæ tuæ
 sanctæ pacem faciunt, procurare velis, amo-
 tis aliquantulum nostris indignis meritis.
 Nam cum leges tuas turpissimè transgressi-
 simus, & improbissimè violauerimus, nil
 boni debemus iure nobis polliceri. Caterum
 dum honorem tui nominis respicimus, re-
 sumpta fiducia, te audacter oramus, ut coa-
 dunatis in nomine Iesu Christi, & per illud
 idem te inuocantibus velis adesse, quo no-
 bis aliquando in vera Hierusalem conquis-
 scere liceat, ereptis à furenti & violèto im-
 petu Antichristi. Et quotquot Ecclesiæ ci-
 ues credunt sanctæ doctrinæ, amici & fide-
 listimi fratres inter se tuo beneficio efficiã-
 tur, per Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

P R E C E S

EX EODEM.

COELUM, Deus Opt. Max. licet habitaculum tuum esse scripturae sanctae non passim doceant, eam tamen eadem produunt bonitatem tuam fuisse, ut Ecclesia quoque domus tua electissima & sit & dicatur: idcirco quando ad sanctorum cœtum conuenturi sumus, precamur, ut id & leto & audissimo animo faciamus. Tu sanè Ecclesiâ florentissimis & eximijs donis liberalitate summa donasti, neq; ad eam exornandam quicquam relictum est, quod vel ad eius elegantiam spirituales, vel ad copiosam celestium bonorum affluentiam conducere valeat. Quæ cū abs te plenissimè profecta sint, hoc modo superest ut nostris precibus largiaris, eam perpetua concordia membra sua inter sese habere connexa: conueniatur eò ad purè te colendum, ibi de scripturis castè & syncerè iudicetur, & regnū tuum sua pœmeria indies latius proferat. Atq; hæc omnia pace tua & spiritus tranquillitate constabulantur. Dumq; illi pacē & felicitatē precamur, et proximis nostris, et domui tue solida firmaq; bona procuramus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

NEX PSALMO CXXIII.

Nulla populo tuo manent, omnipotens
 Deus, amplius auxilia nisi de cælo:
 nam aded inualuerunt Antichristi vires et
 infesta eius consilia, vt parū absit quin ve-
 ra pietas & tuus legitimus cultus extin-
 guatur & funditus deleatur. Idcirco ad te
 in cælos leuamus oculos nostros, vt ope tua
 reuiscamus, ac à tantis periculis emerge-
 mus. Instar seruorū & ancillarū te vnicum
 nostræ salutis refugiū, intentis oculis respi-
 cimus: vt quēadmodū ipsi à domino vel he-
 ra sua tantūmodo pendent, sic nos ad te quo-
 tidie clamamus, donec miserearis nostri. Ne-
 sis nostris sceleribus, quibus tantum nō ad-
 obruti sumus, aded insensus & iratus, vt no-
 minis & gloria tuæ rationem illis vlciscē-
 dis posthabens. Ignosce precamur supplicib.
 tuis, quo nil de tua misericordia & sum-
 ma bonitate detrahatur. Misere nostri, ô De-
 us hoc tēpore, miserere nostri, vt quē nō la-
 teat quātis opprobrijs & cōtumelijs passim
 afficiatur Ecclesia tua. Nō progrediatur lō-
 gius fastus, et contēptus impiorū, qui tā ad-
 ed successib. elati sunt absq; mō, vt humanis
 virib. nō videātur posse reprimi: tu qui in-

P R E C E S

uictus es & omnipotens, finem atque modum furendi imponas, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Licet in supremis cœlis, Deus Opt. Ma-
 tuum collocaueris habitaculum, spiri-
 tu nihilominus quo corda fidelium instruis,
 nos extimulare nunquam desinis, ut angu-
 stijs, tribulationibus & periculis exerciti-
 à te vno & precibus & votis perpetuis au-
 xiliũ impetrare contendamus. Idcirco nunc
 veluti serui tantum intēti sunt ad manum
 dominorum, utq; ancillula tātum heræ sue
 manum obseruat, ita nostræ fidei acies te v-
 num respicit, cœlestis pater, & posthac assi-
 duè respiciet, quo ad nostrũ te misereat. Si
 nobis, quesumus, quæ tua est misericordia
 propitijs, neq; nos patiaris aduersarijs po-
 testatibus contemptui esse atque ludibrio,
 Non dubitamus te probè intelligere, ut Ec-
 clesiam tuam opulenti & superbi huius se-
 cūli, magno fastu contemnant atq; despici-
 ant. Quamobrem te rogamus etiam atq; eti-
 am, ut cito subuenias, eamq; non permittas
 neq; superstitionibus & erroribus contami-
 nari,

nari, neque satanae aut impiorum vi opprimi, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

E Caelis, optime pater, nos respicias, quæ ad te unum sustollimus oculos, & à tantis periculis, quibus in præsentia urgemur tuo auxilio tuearis: & quando nos creasti, tuique iure & meritosumus, ut bonus dominus ne despicias seruos tuos, qui te hoc suo tempore ut vnicum refugium spectant. Agnoscimus planè, agnoscimus, inquam, ob peccata & graua facinora in te admissa, nos dignos esse qui in hæc inciderimus: sed oramus ut misericordia motus erga seruos tuos, quicquid in eis te offendit, pro tua clementia & bonitate deleas. Ne attendas, & Deus, indignitatè nostram, sed opprobria & contumelias videas quibus tu in nobis afficeris: dum enim hostes blasphemijs in tuos fideles insultant, non nobis verum nobis tuo iniuriam inferunt, dum armis & violentia ferociunt, cultum, religionem, & verbum tuum imprimis petunt: hæc omnino tollere, si successerit, adnituntur. Dumq;

P R E C E S

sibi videntur florere à viribus, & ex sententia agere insolentissimi efficiuntur, & Ecclesia tua ab illis exagitata summo dedecore, præter te dominum suum, ad quem confugiat, habet neminem. Tu precamur depellas istas iniurias, & mala quæ ipsi irrogant: nil sanè hic queritur, nisi ut gloriam & honorem tuæ doctrinæ ac sancti Euangelij vindices, ne impij hæc ludibrio habeant. Fac, ô Deus, ut quandoq; vim tuæ veritatis experiantur, ut velint nolint te Deum esse agnoscant, per Iesum Christum Do. Nost. Amen.

EX PSALMO CXXIII.

Nisi tu nobis, Deus omnip. auxilio & potentia tua subuenire digneris, ita parati contra populum tuum insurrexerunt Antichristi, ut nil magis cupere videantur quàm nos omnes vel viuos deglutire: ita est accensa eorum rabies, ut ni tu ad sis ab eis consumendi & deuorandi simus. Quod profecto, si peccata nostra intueamur, non possumus inficiari commeritos esse. Quæ enim, tanta ingratitude qua vsi sumus ergate, supplicia aut pœnas existimare possumus iniuste abs te nobis irrogari? Ad eò transgressi

gressi sumus precepta tua vt nulla sit tam grauis mulcta, quin ea & simus & videamur benè digni. Ceterum etsi non propter nos, attamen ob gloriam nominis tui velis Ecclesie sanctæ adesse, ne rapidissimi torrentes inundatione & impetu aquarum illam adobruant ac prefocent. Auertas quæsumus ora & dentes illorum à sanctis tuis, ne vti præda ab ipsis dilanientur. Nil sanè aliud suis dolis & malis artibus venantur, quàm vt laqueis impietatis sue eos implerent & capiant, qui verbis tuis, cultui repurgato, & religioni synceriori se dediderunt. Properes itaq; ô Deus, in auxilium nostrum, & nos è retibus liberares tam crudelium venatorum. Tu enim qui fecisti cælum & terram, fac precamur, vt vni tibi ascribatur nostra salus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Nisi tu, tu ipse hoc tempore, Deus Opt. Max. furorem & amentiam Antichristorum comprimas & illidas, quo in tuos ea non valeant efficere, quæ iam concepta & meditata apud se habent, viuam

P R E C E S

& integram absorbebunt Ecclesiam: insur-
 gunt, fremunt, inundant, intumescunt, ut
 propè iam mergantur fideles tui, ni cito a-
 moueas & retundas impietatis procellam
 & fluctus diaboli. Auertas cœlestis pater
 oramus iram tuam à nobis, & ne ut mere-
 mur vlciscaris nepharia quæ admisimus in
 te: non tantum id agimus, ut nostrum ratio-
 nem habeas, sed ut tuo nomini, tuæ doctri-
 næ, & tuis promissionibus ne desis. Fac ut
 dicamus aliquãdo, Verè celebrandus & lau-
 dandus est noster Deus, qui non est passus
 ab immani furore impiorum Ecclesiã dissi-
 pari, sed è laqueis & faucibus conscelerato-
 rum hominum claro & potenti brachio il-
 lam eripuit: concidantur retia, dissoluan-
 tur machinationes, hebetentur vires illo-
 rum, quos iam omnes, qui te amant, ô Deus,
 vehementer pertimescunt: à te solummodo
 qui cœlum & terrã creasti expectamus au-
 xilium. Quare te oramus, ut pro tua summa
 bonitate atque clementia nostris precibus
 te facile præbeas, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum,

Amen.

EX EODEM.

QVI ad tuam hereditatē pertinēt,
& verus Israel sunt, nobiscum fa-
teantur, omnipotens Deus, quod
ni favore atque potenti auxilio tuo fuisse-
mus adiuti, non semel ab hostibus nostrae sa-
lutis & absorpti & prorsus consumpti eua-
nuissemus. Nam aliunde quicquid praesidij
esse potuit ad nos tuendos, experti sumus
nullam vim habere. Violentia & impetus
eorum à quibus oppugnamur, est ceu incita-
tissima aquae dum repente campos inundat,
illorum crudelitas feritatem belluarum ad-
aequat, & insidijs tam callidis & latentib.
vtuntur, vt aucupes & venatores praes illis
nihil artis habeant, sed admodum simplices
videri possint. Quare pro vt debemus, quod
et tantis periculis gregem tuam & simpli-
tem & imbecillē haecenus liberaueris, gra-
tias agimus, rogamusq; vt posthac identi-
dem Ecclesiā tuam neq; vi neq; dolo patia-
ris opprimi, quo tibi vni indies magis ac
magis fidamus, per Iesum Christum
dominum nostrum,
Amen.

P R E C E S

EX PSALMO CXXV.

Quoniam, Deus Opt. Max. humana
 auxilia infirma sunt, incerta atq;
 fallacia, apertè docemur in te vni
 debere trāsferri omnem nostram fiduciam,
 cui qui inmituntur, neq; commouentur neq;
 nutant illorum gressus. Qui itaq; pollicitus
 es montem Zion, id est, sanctam Ecclesiam
 constabilire tua protectione, ita vt eter-
 num contra omnes impetus aduersariorum
 maneat, eam in presentia, te obsecramus,
 respicias, neque contra illam patiaris im-
 proborum virgam senire. Si enim cogatur
 subesse hostium tuorum imperio, facile de-
 clinabunt ad impietatem etiam illi qui in-
 fti videntur. Peccata quidē nostra, qua gra-
 uia sunt, velis, ô Deus, alio punire suppli-
 ciorum genere: oppressionem deprecamur
 in presentia, tantummodo Antichristi, cir-
 cumquaq; instar montium munitissimorum
 tuearis cœtum fidelium tuorum, ne pro libi-
 dine grassari valeant in eos impij hostes tui
 nominis. Benigne facias & clementer hoc
 tempore erga illos, qui aliquo studio probi-
 tatis & rectitudinis tenentur. Eos autem,
 qui

qui non solum ipsi tantummodo volunt
 animo impietatem, & nefanda molun-
 tur scelera, sed etiam id omni conatu stu-
 dent efficere, ut verbum tuum nusquam vi-
 geat, vera religio prorsus extinguatur, &
 omnis extirpetur sincera tui nominis inuo-
 catio, sentire & experiri demum facias que
 iniquitatis operarij mereantur. Tuum ve-
 ro Israelem pax & tranquillitas impetra-
 ta, magis ac magis tibi adiungat, & lau-
 dibus tuis perpetuo adherere faciat, per
 Iesum Christum dominum nostrum, A-
 men.

EX EODEM.

Quorumcunq; animis, omnipotēs De-
 us, insita est & instaurata fides tua
 rum promissionum, hi ut mon-
 tes fundatissimi turbulentis temporibus
 minimè nutant, imò illorum tanta est
 firmitas atque constantia, ut non mi-
 nus se armatos esse confidunt protectio-
 ne ac defensione tua, quàm vrbs Hieroso-
 lymorum fuerit munita vallo montium,
 qui ei per circuitum imminebant. Nunc
 igitur quando labes & flamma impio-

P R E C E S

rum tota in eo est ut Ecclesiam dissipet & opprimat, ad sis tu illi, optime pater, & ea declara, quam habes in ipsam egregiam voluntatem Quod si, ut aperte & sinceriter confitemur, nostra inmania scelera commiserunt, ut nudati auxilio tuo tradamur ferociae ac feritiae Antichristorum, tu ne respicias, quaesumus, quid nostris malefactorum iure debeatur, sed nos tibi creditos atque commissos in Christo memineris, neque iratus agas contra tuam vetustam & antiquam consuetudinem, qua nunquam potestatem fecisti tyrannidi impiorum, ut fideles diuturno tempore affligerent, ne si cessarent tua iudicia, forte auderent, qui iustitia sunt imbuti, ab ea se reuocare, & prauitati, ut vulgo fit, concedere. Sis bonus, clemens, propitius, o Deus, his qui studium pietatis aliter in cordibus suis, & iram tuam potius in eos transferas, qui nihil nisi praua, iniqua, impia & cogitant & efficiunt: Tuo vero Israelitae pristinam pacem pro tua misericordia conserues & augeas, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

Q Vicunque tuæ veritati, omnipotens Deus, veluti par est fidē adhibent, hi vt montes firmi, & rupes validissimæ immoti permanent, quantacumq; tentationum procella aduersus eos per diabolum aut per mundum excitetur. Vt ciuitates aggeribus, turribus, aut montibus circumquaq; dispositis muniuntur, ita Deus quibus fauet, & electorum alboscriptos habuerit, hos vt clypeus tuetur, & contegit instar fortissimi propugnaculi. Ideo te optime pater, non absq; causa inuocamus, vt non sinas impios tyrannidem suam proferre super iustorum Ecclesiam, ne si videant, qui inter fideles adhuc infirmiores sunt, prauorum fortunas euehi, eorum vitia & peccata malo studio incipiant imitari. Quamobrem potius sanctos defende & promoue, illis, quæsumus, benignus adsis, quibus iam tribuisti vt integro animo & sincera fide te sectentur. Eos verò, qui pietati ac gloriæ nominis tui obstaculo sunt, robore ac potentia tua reprime, quæ tua Ecclesia, quæ sanctus est Israel expecta

P R E C E S

ta salute non fraudetur, per Iesum Christum
dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXVI.

FVit sanè, Deus Opt. Max. Ecclesia tua
hactenus plus quàm ferrea captiuitas,
qua sub Antichristi tyrannide opprimeba-
tur, & illam nihilominus tua bonitate di-
gnatus es redimere, nostro quidem magno
gaudio, & aliorum qui adhuc ad libertatē
Christianam aspirant magna spe excitata.
Precamur in presentia, quando viderur
omnibus artibus diabolus & omnes aduer-
sarie potestates, vires intendere vt opus ca-
ptum impediatur, ne tu obliuiscaris tuæ capti-
uitatis, quam restituere vtcūq; cœpisti: illa
quidem admodum erga te ingratus se gessit,
vt quæ pro dignitate accepta beneficia non
æstimarit. Sed tu pro cōsuetâ misericordiâ,
quod instaurandum superest ne deseras, imò
largiri digneris, quasi meridianis ac torri-
dis agris, celerrimos tua gratiæ alueos, &
redundantia spiritus flumina, vt quæ pre-
cum modo cum lachrymis iaciuntur semi-
na, quantes metere possimus fructu non pa-
nitendo. Vt gentes quæ suspensio animo has
con-

contemplantur vexationes, quibus ab hostibus tui nominis affligimur, demum vulgo predicent, nobiscum te magnificè egisse, unde nos post istos gemitus, non modo optatam sed etiam salutarem percipiamus letitiam, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM tuus videatur esse mos antiquissimus, omnipotens Deus, ut mirabili ac singulari providentia subuenias in te sperantibus, quando in extremum discrimen iam venerint, ita dum illis abs te provenit inopinata salus, ea videantur in somnio potius quam re ipsa frui: nos in Ecclesia causa propè deplorata minimè desperamus, probè intelligentes tibi leue esse, imò facillimum, os nostrum risu & linguam nostram iubilatione implere, quo vel hostes nostri dicere cogantur velint nolint, Deus istorum profecto magnificè cum eis egit, cum ex insperato traduxerit illos ad tam præclarum gaudium & summam iucunditatem. Quare te oramus, optime pater, ut bonitate atque misericordia tua

P R E C E S

condones offensas, quibus ex amentia, imbecillitate & innata corruptione te contumaciter irritauimus, quo in pristinam gratiam tecum reuersi, nostrarum rerum non minorem mutationem experiamur, atque illi qui australi siccitate, & meridianis ardoribus exhausti, recenti ac inexpectata aquarum copia inundantur. Quae nunc per luctum serimus, da precamur, ut aliquando metamus cum voluptate, utq; ex precibus quas coram te supplices quotidie spargimus, deorum consolationis uberrimos fructus capiamus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

CUM aliquando contigerit, Deus Opt. Max. ut Ecclesia tuo singulari beneficio è captiuitate atque tyrannide diaboli prorsus eximatur, atq; tua suaq; omnia membra, ab erroribus ac tenebris, prorsus libera videat, ea perfundet letitia, ut se potius tantum bonum somnare quam vere obtinuisse sit existimatura. Tum verè se letam dicet, & solido gaudio perfruetur: neq; ipsa tantum gratias tibi immortales aget, verum
nemo

nemo erit qui non miretur quæ & quanta ipse erga illam egeris. Quamobrè precamur vt ista fieri iam tandem concedas, & captiuitatis tam diuturnæ & miserabilis te misereat: afferas tuos à cæcis tenebris, & fauore solito relaxes vincula, quibus abs te redempti filij Adam tanto tempore constringuntur: & gratiæ tuæ viuacissimis aquis, squallidum & siticulosum animæ nostræ solum letifices atque fecundes, vt lachrymarum sementis, quam pij fecerunt captiuitatis tempore, gaudia expectata quandoq; illis producat, quiq; tristes & afflicti, precum & suspiriorum hactenus iecerunt semina, leti atque exultabundi colligant veræ pietatis & castæ religionis solidos fructus, per I. Christum Dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXVII.

EXtra controuersiam est & in confesso habetur apud omnes pios, neq; familiã posse institui, neq; Rempubl. vllam conseruari, nisi tu, omnipotens Deus, incepta prouehas atq; fortunes: idcirco qui non sumus ignari Ecclesiam præstare cuius huius mundi honestæ domui & amplissimæ ciuitati,

P R E C E S

eam certo scimus absq; tuis auspicijs nullo
 modo posse consistere, & hoc potissimū tem-
 pore, quādo tot machinis cum Diaboli, tum
 Antichristi appetitur. Quod igitur nullo la-
 bore, vigilia aut industria hominum perfi-
 ci potest, assiduis precibus, optime pater,
 abs te flagitamus, qui tuis consueuisti velu-
 ti per somnum largiri quæ alioquin assequi
 erat difficilimū, ac propemodum impossi-
 bile. Auferas imprimis iniquitates nostras,
 quæ maximè videntur obstare, ne presenti
 inopia atq; calamitati auxilium feras, nos
 enim ipse, nec aliud quippiam, dirimunt ac
 distrahunt à tua misericordia. Quibus cum
 ignoueris, vti enixè contendimus, auge-
 as Ecclesiā numerosa prole: nam si tibi pro-
 creauerit liberos, et te et spiritu tuo dignos
 instar sagittarum emittētur ab inuictō bra-
 chio tuo, in aduersarios pietatis & Euange-
 licæ doctrinæ: sanos cœtus atq; collegia re-
 pleas fortibus hominibus, qui dum tuentur
 verbis & re tuam veritatem, non erube-
 scant neq; succumbant, per Iesum
 Christum dominum no-
 strum, Amen.

E X E O P E M.

A Bsq; tua beneuolentia, omnip. Deus,
 frustra sunt omnes nostræ vires
 atq; conatus: etsi nulla priuata domus ex-
 trui potest, aut ciuitas aliqua ædificari, ni-
 si presenti auxilio ac fauore tuo, quãto mi-
 nus poterit Ecclesia instaurari, ampliari at
 que consistere, nisi tu spiritu & gratia tua
 maximè adfueris, incassum laborarunt ho-
 mines, exurgent summo mane, diu ieiunè
 satagent, seque ærumnis ac molestijs inani-
 ter & frustra conficient. Quapropter obni-
 xè te precamur, ò Deus, ne in vllis incæptis
 destituas nos presentia & ope tua. Certe
 quicquid vnquam collectum est aut instau-
 ratum ex ruinis Ecclesie, absque te, non
 successit, imò id cooperatoribus tuis dedi-
 sti quasi per somnum, arcanis & mirabilib.
 tuis rationibus ita rem effecisti, vt huma-
 næ vires, si rectè æstimetur, omnino videan-
 tur tanto operi fuisse impares. Nunc autem
 quod ingrati fuimus, & beneficijs tantis ac
 talibus pessimè sumus abusi, merito cœpisti
 nos exercere tatarū rerū difficultate, à qua
 hominū labores & industria minimè valēt

P R E C E S

nos explicare. Tu itaq; pro tua solita misericordia, dum id minus cogitamus, aut multis periculis nos putamus expositos, ad te confugientes expedias, vt liberati te vnicum agnoscamus vere salutis authorem. Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

Quia frustra laborant & sese conficiunt, quotquot absq; tuo auxilio & gratia quippiã, Deus Opt. Max. molientur, & se ab inimicis tueri non possunt, quicumq; te non habent adiutorem: Ideo cum & Ecclesia semper adificatione indigeat, et ciuitas nostri cœtus defensione opus habeat, te vnum inuocamus, qui adsis edificantibus, & pugnantibus strenuè adiuues. Et quo id facilius consequamur, vt factus Ecclesie tue multiplices, qui vt sagitte mitti possint ad eam verbo vbiq; irrigandam, & ita in tuis sermonibus tractandis periti sint ac exercitati, vt cum sue vocationi inseruiunt, nulla ratione infidelium pudefiant, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSAL. CXXVIII.

Si nihil boni aut felicitatis obuenire po-
 test, nisi illis qui Deum timent & re-
 uerentur, quiq; rectè viuendo per vias man-
 datorum Dei fideliter gradiuntur, iã nobis
 causa declaratur, quare exerceamur cala-
 mitatibus. Cum enim abs te summa mise-
 ricordia, omnipotens Deus, donati fueri-
 mus salutari doctrina, nihil minus atque te
 vt decet coleremus, praestitimus: timorem
 ac reuerentiam tui nominis cupiditatibus
 nostris posthabuimus, atque abiicimus di-
 sciplinam mandatorum tuorum. Quare non
 est quod conqueramur iniuste nobis quan-
 doque irrogari afflictiones. Ignoscas pre-
 camur iniquitatibus & sceleribus nostris,
 ac pro tua misericordia in nobis timorem,
 pietatem & sanctos mores instaures. Af-
 flicta Ecclesia tua demum è Zion, id est, ex
 tua sublimi & inaccessa luce affulgeas,
 eamque eripias in tantis periculis constitu-
 tam. Cumq; tibi eam per fidem vxorem co-
 pularis, da vt fertilitate sanctorum filiorũ
 augeatur: sit vt vitis latè germinans, quã,
 vt adnitiur Antichristus, non valeat suc-

P R E C E S

cidere. Hoc potissimum abs te, optime pater, impetrare poscimus, ut bona & salutaria largiri digneris tuæ Hierusalem, & vero Israeli pacem atque tranquillitatem concedere, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

DOcent nos tua oracula, Deus Optius. Max. solam pietatem reddere homines felices: timor enim quo te reueretur pij frenum est illis efficax ad rectè pergendum in vijs tuæ iustitiæ. Verum cum ista pietas Ecclesiæ tuæ sit vnicum ornamentum, rogamus te, ut in ea perpetuo laboretur doctrina & exemplo ad tuos filios excolendos, neque frustraneæ vel cassæ sint operæ. Fiat quotidie instar mulieris sæcundissimæ, quæ fructiferis oleis & vitibus fertilissimis cõferri possit. Quæ non dubitamus felicissimæ dona facile nobis tandem euentura, si tu ex alto maiestatis tuæ habitaculo, tuæ misericordie oculo fidelium cœtum aspexeris: quæ quicquid est veræ & solidæ felicitatis derivatur. Et cum id ad tui nominis honorem facere

facere non dubitemus, nempe ut perpetua
 sobole filiorum tuorum augeatur Ecclesia.
 & pacata cum laudibus tum vitæ purita-
 te sit conspicua, hoc votis quàm ardentissi-
 mis impetrare optamus, per Iesum Christū
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXIX.

SCis, omnipotens Deus, quantopere ho-
 stes tui nominis infestant perpetuo Ec-
 clesiā, ab eius incunabulis illam semper ve-
 xarunt, verum tamen est factum favore
 tuo, ut nunquam aduersus eam præualue-
 rint, idq; eò quo tuæ promissiones adimple-
 rentur. Frequenter in ipsius dorsum admo-
 dum profundè visi sunt immittere vome-
 rem afflictionum, & obstinato animo decre-
 uerant super ipso quàm longissimos sulcus
 protrahere. Sed tu, ò Deus, cum sis iustus,
 incidisti semper improborum hominum fu-
 nes. Nunc autē rogamus te ne respicias ma-
 la nostra merita, sed gloriā tui nominis: nā
 quod ad nos attinet, non modo talibus cala-
 mitatibus, sed longè grauioribus digni su-
 mus. Verum pro tua misericordia non super
 nos, verum super impios effundas irā tuam

P R E C E S

impij pudeſiant & retrorſum cedant, cito
 vt gramen areſcant, antequã ad finem per-
 ducere valeãt ſuos prauos conatus: non me-
 rentur vt illis fœlices precemur ſucceſſus,
 cum impia ſint illorum incœpta. Sed iam fa-
 cias vt Eccleſia tuorum fidelium aliqua pa-
 cis & tranquillitatis benedictione perſun-
 datur, per Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum,
 Amen.

EX E O D E M.

NON modo frequentes, Deus cœleſtis
 pater, ſunt oppugnationes tuorum fe-
 delium, ſed aſſiduè tentantur, & impellan-
 tur vt in exitium extremum ruant: nihil
 enim optatius diabolo eſt & aduerſarijs po-
 reſtatibus, quã vt imaginem tuam à præ-
 deſtinato illi fine auertant. Ideoq̃ue ad te
 clamamus, qui vnã cum ſumma iuſtitia mi-
 ſericordiam infinitam coniunctam habes,
 vt pro bonitate atque charitate, qua nos
 proſequeris, tentationum funes diſyumpas,
 & laqueos inſidantium conteras: quo no-
 ſtra ſalutis hoſtes, vti commeriti ſunt pude-
 fiant, omneſq; intelligant, iuſtitiam tuam
 non finire illorum fraudes atq; dolos perpe-
 120

tuo impunitos: quouē benedictio tua, quam
destinasti electis, non impediatur, & salus,
quam tuis promissionibus freti expectamus
nulla vi diabolicæ fraudis atque machina-
tionis intercitat, per Iesum Christum domi-
num nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXX.

Fideles tuos, omnipotens Deus, consueu-
sti sæpius grauitè affligere, vt idcirco
ad te redeāt ardētè ac perfectè pœnitentiã,
quod in Ecclesia modo experimur his mo-
lestissimis temporibus: qui enim hæcenus
infinitis modis tibi ingrati fuimus, & man-
data ac legem tuam passim transgressi su-
mus, ita sepe numero diuexamur, diaboli
& mancipiorum eius ferocitate, vt ad te
clamare cogamur ex abyssò, & altissima
profunditate nostrorum malorum: ne velis
in nostra peccata adeò seueriter animadu-
tere. Si constitueris ô Deus, iniquitates no-
stras pro illarum meritis & obseruare & pœ-
nire, quis erit nostrum adeo mundus & san-
ctus, vt corã tua iustitia valeat subsistere?
Sed cum sciamus te vigere summa clemen-
tia, & mane & vespere suspicimus ac expe-

P R E C E S

Roamus tuum auxilium. Quamuis itaq; sunt
 complures iniquitates nostra, tu pro tua
 amplissima bonitate atque misericordia ab
 omnibus ipsis velis nos redimere, vt ex in-
 stantibus periculis & prementibus cala-
 mitatibus liberati, apud te solum tam cre-
 damus, quam prædicemus veram esse re-
 demptionem, per Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM altissimo tentationum pelago
 Deus Opt. Max. perpetuo iactemur,
 neq; illis per nos ipsos valeamus esse pares,
 abs te non immerito quærimus nostris casti-
 bus misericorditer subueniri. Tu enim cum
 sis rerum nostrarum & iudex & arbiter, si
 omnia volueris obseruare, quæcunque pec-
 camus, & in ea serio animaduertere, quis
 obsecro poterit ad tuum tribunal consistere?
 Quare cum apud te summa sit, imò infi-
 nita clementia, vt illi tantum innitimur,
 ita precamur vt ea nostra iniquitates redi-
 mantur. Hac vnica spe in singulos dies at-
 que in singulas horas nutrimur, confidimus
 que te veri Israelis, hoc est Ecclesie tue nun-
 quam

quam obliturum. Da igitur vt remissionē
 peccatorum tanquam solidum syncerumq;
 fructum huius fiducia abs te consequamur,
 Per Iesum Christum dominum nostrum, A-
 men.

EX PSALMO CXXXI.

Quandoquidem tibi omnipotens De-
 us, admodum ingrati sumus de sum-
 mis beneficijs abs te in nos colla-
 tis, & vitam sanctitate tua & nostra voca-
 tione instituimus hætenus parum dignā, nō
 est quod cor nostrum efferatur aut in mira-
 bilibus ambulet. Largiatur nobis spiritus
 tuus, vt omni fastu & supercilio abiectio, id
 quod verū est, nos peccatores esse agnosca-
 m⁹, quo per verā et syncerā pœnitentiā abs
 te veniā peccatorum nostrorū impetremus.
 Deinde sic nos erga te cōponamus, vt instar
 pueri simus ablacriati, qui semper matrē suā
 respicit, à qua & foueatur et nutriatur. Pro-
 inde nisi tu nobis adsis, quid aliud sentire
 aut possumus, aut debemus de viribus no-
 stris, quā eas fore nobis noxias. Vnde cum
 non habeat Ecclesia nisi te vnicum refugi-
 um, et omnib⁹ humanis prorsus destitatur

P R E C E S

auxilij, ideo instar pueri ad te modo respicit, & precatur ne se deseras, sed illi pro bonitate tua sic digneris succurrere, vt inuocando & predicando nomini tuo æternum vacet, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX E O D E M.

DEUS Opt. Max. cui vni sublimi ac eximio verè esse licet, oramus ne cordi nostro alioquin satis contumaci ac rebellifinas obrepere superbiam, cum omnis humanus fastus atque nostri existimatio non possit esse nisi vana, vt quæ neque veras neque iustas causas habeat. Petimus itaque cor modestum, demissos oculos, & vt ea deuitemus cæpta & instituta, quæ modum finesque vocationis nostræ excedant. Faxis obsecramus, vt non secus abs te pendeat nostrer animus, atq; infantes à nutricis vberibus. Videmus enim Ecclesiam tuam nunquam fæliciter habituram, nisi & de seipsa prorsus desperet, & in te vno totam suam spem atq; fiduciam collocet, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXXII.

TE quidem probè scimus, Deus Optim.
 Maxime haud esse immemorem fæ-
 deris in Christo Iesu abs te nobiscum initi:
 sed ipsos nos fatemur descivisse à sanctissi-
 mis pactis atq; conuentis. Cum enim debue-
 rimus tibi viuere, & nostras omnes actio-
 nes tuo nomini consecrare, nihil minus egi-
 mus: legitimam & veram pietatem frigi-
 dè admodum coluimus, neque vt decuit, in-
 stauracionem Ecclesie ardenti studio prose-
 cuti sumus. Sed tu ô Deus, ne velis vlcisci
 has nostras iniquitates, neque propter ea
 que contra te comisimus has nostras preces
 auerferis. Hoc sanè votis omnib. poscimus,
 vt loca in quib. arca fæderis tui, id est, ele-
 sta Ecclesia, sponsa tua se continet, quieta et
 tranquilla pace demum frui valeant, quo
 regnum tuum feliciter propagetur, & glo-
 ria tui nominis latius diffundatur. Decla-
 res, qua sumus, vt promisisti te verè in Ec-
 clesia tua residere, induendo fideles tuos san-
 ctitate atque salute. Populi tui lucerna,
 quemadmodum promisisti, non extingua-

P R E C E S

tar: sed in ea decus regium & ornamentum
maiestatis tuæ perpetuo floreat, per Iesum
Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

CUM decreueris ex tua immensa boni
tate, Deus Op. Max. in cœtu fidelium
qui est Ecclesia Christi sanguine redempta,
perpetuo habitare te precamur, ut huius
tuæ beneuolæ promissionis nunquam obli-
uiscaris. Vehementer quippe optamus, ut
in nobis tua sis requies. & in cordibus no-
stris habeas per fidem sanctum & prepara-
tum habitaculum. Quemadmodum igitur
te non dubitamus velle hoc fœdus inuola-
tum & firmum, ita rogamus, ut nobis con-
cedas ab eo non discedere, sed ea persequi &
implere tuæ volûntatis testimonia, quæ nos
diuinis literis dignatus es docere, ita ut sa-
cerorum ministri, plebs fidelis & omnes ele-
ctorum ordines, pietate vera & sinceris vir-
tutibus ad honorem tui nominis fulgeant
per Iesum Christum dominum
nostrum, A-
men.

EX PSAL. CXXXIII.

Quando inter se quàm coniunctissi-
 mè viuunt & optimis rationibus
 conspirant ad te colendum omni-
 potens Deus, illi qui tuo nomine sunt insigni-
 ti, clara et potens Ecclesia indies magis at-
 que magis efficitur. Quemadmodum contra
 vehementer frangitur atq; debilitatur, si,
 qui in ea instar fratrum debuissent coh-
 habitare dissidijs exulcerent, aut contentioni-
 bus à seipsis diuellantur Optamus itaq; tuo
 beneficio ea nobis detur pax, vt instar mem-
 brorum in eodē corpore tuo, quod est Eccle-
 sia, coalescamus Sed cū tanta sælicitati mi-
 rum in modum obstant nostra peccata: qui
 enim fieri potest, vt qui tecum dissentiunt
 inter se valeāt cōsentire: te rogamus enixe
 vt offensis remissis, quibus te sæpe atq; ve-
 hementer irritauimus, nos velis rursus in
 gratiã recipere, atq; ita cōplecti clementia
 & misericordia, vt indiuulse tibi adherca-
 mus: inde enim nostra solida pax deriuabi-
 tar, inde opima & fertilis bonarū actionū
 reddetur Eccl. inde abstrusi & recōditi the

P R E C E S

sauri spiritus tui sese exerent, atq; in suauer-
 fructus erūpent, inde fragrantissimus odor
 iustitiae & pietatis per vniuersum orbem
 exhalabit. Quamobrem da supplicibus tuis,
 optime pater, vt tecum in seipsis, & cum
 omnibus, quantum fieri potest, pacem ha-
 beant, quo iuxta promissiones tuas in nomi-
 ne tuo collecti, te presentem habeant, bene-
 dictionem tuam opulentissimam experian-
 tur, & eternam vitam demum percipi-
 ant, per Iesum Christum dominum nostrum,
 Amen.

EX EODEM.

Quandoquidem summa clementia,
 Deus Opt. Max. nos omnes per fi-
 dem Iesu Christi in filios tibi co-
 optasti, inter nos deceret, vt non extrane-
 am sed verè fraternam vitam viueremus,
 neque pijs est quippiam optabilius aut in-
 cundius, quàm vt vnanimiter in domo Dei
 consentiant. Quare haud nobis leuiter do-
 let, passim scindi & violari istam coniun-
 ctionem fraternam, quam vnice colere oportet.

tuit. Sed huius diuexationis atque calamitatis fatemur nos ipsos luculentam dedisse causam: qui enim tibi non coniungimur toto pectore, & omnibus rationibus, ut requis, mandatis tuis non obedimus, quod fieri potest, ut benè compaginemur & coheremus proximis nostris? Idcirco te precamur, o Deus, ut nobis ignoscas quæ ante peccauimus, auersati mandata et legem tuam, nosque firmissima charitate inuicem copules in sanctum Ecclesiæ tuæ corpus, quo nostris consensus, ut mutue dilectionis odor suauis quam latissimè spargatur, & rore tuæ benedictionis indies magis magisque feraces redamur piarum actionum, ac tua beneficentia non modo tranquillam vitam & pacatam à presentibus malis, sed beatam demum atque eternam consequamur, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODÉM.

CUM omnes credentes, Deus Opt. Max. tua benignitate in filios adoptaueris, da ut qui sancta generatione sumus fratres,

P R E C E S

amore pace atque charitate perpetua simul
 iungamur, quo & dum hic vivimus ex hu-
 iusmodi pace voluptatem sinceram capia-
 mus. & omnibus alijs abs te alienis sua-
 rissimus odor finius ad eternā salutē. Hoc
 precipuo exemplo Ecclesia tua, pater cele-
 stis potest esse cunctis mortaliibus admirabi-
 lis. Atque re ipsa nos experimur te consue-
 misse largissima benedictione perfundere,
 quotquot concordem & amicam vitam in
 salutari tua doctrina & .ultu degunt. Idcir-
 co nunc illam prae omnibus divitijs & alijs
 terrenis commodis abs te petimus perlesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXXIII.

ESSet profecto nobis laudabile & incun-
 dum, omnipotens Deus laudes tuas per-
 p tuo canere, & admiranda opera tua con-
 tinuè prædicare, ad quæ facienda require-
 ret pietas, ut non solum diei tempus nobis
 deligeremus, verum etiam nocturnas ho-
 ras Verum tamen peccata nostra. & assi-
 duus lapsus lachrymas, gemitus, atq; suspi-
 ria potius exprimunt, quibus perpetuo co-
 ram

nam te dicamus: Nos quidem, ô Deus, gravissimè peccavimus, atq; iniquitates nostræ numero vincunt arenam maris, & stellas cæli, sed nunc manus attollimus ad sanctuarium nostrum, id est, Christum Iesum unicum filium tuum: & quod nostra dignitate aut meritis non possumus obtinere, annitimur ut illius unius interuentu & gratia impetremus. Hoc poscimus, optime pater, ut populo ad te cõfugienti à Zion, id est, ex arcano thesauro tuæ clementiæ demũ benefacias, ex presentibus difficultatibus eripiendo, quo tibi, qui cælum & terram creasti, nosq; ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es, plenas gratias agere, & laudes libero ac exultanti corde dicere liceat, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM insigni promissione ornaueris, omnipotens Deus, uniuersos qui te colendi causa simul adunantur ut non solum illis velis adesse, sed præclara quoq; beneficia sit eis decreturus, quicumque fide & pietate pollent, sacri cœtus redduntur quam studiosissimi, ita ut nihil habeant optatius

P R E C E S

aut antiquius, quàm vt conspectui tuo se in
 sanctis conuentibus frequenter sistant. Ce-
 terum quod nos animaduertimus grauissi-
 mis culpis contaminatos, quæ ita nos pre-
 munt, vt minimè te ausimus celebrare, atq;
 laudare pro Christiano instituto, idcirco te
 oramus, vt aqua es misericordia, bonitate
 & clementia, nobis digneris veniam dare,
 quo ab Antichristi satellitibus & ministris
 eius eripiamur, qui pro viribus annitun-
 tur, vt fidelibus tuis non amplius locus at-
 que facultas detur conueniendi ad te rite
 & purè colendum. Eos quæsumus tibi ser-
 ues, qui tantopere cupiunt votis castissimis
 ad te leuare manus & preces intendere: il-
 lis è cælis beneficias, foveas ac defendas,
 quod tuæ admirabili & innixæ potentie
 minimè impossibile erit, cum tuæ vi orbis,
 & vniuersa quæ in eo clauduntur nō modo
 condita fuerint, sed etiam persistant
 & conseruentur, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum,
 Amen.

EX EODEM.

Tanta est tua bonitas ; Deus Optimus
 Max. ut æternum celebrari mereatur.
 Vellemus itaque ubique manus puras
 attollere ad te predicandum, & gratias a-
 gendas, uti par est, bonitati tue. Quod præ-
 cipue cum in sacris cætibus fieri debeat, ibi
 quesumus nobis adsis, atque tuo Israeli co-
 piofissimam benedictionem impartiaris, per
 Iesum Christum dominum nostrum, A-
 men.

EX PSALMO CXXXV.

Qvicunque ad tuum nomen, conce-
 lebrandum, omnipotens Deus, a-
 cti sancto spiritu in vnum con-
 ueniunt, maximum cumulum habent sibi
 propositum beneficiorum, quæ abs te vber-
 rimè collata sunt nostro generi : etenim in
 cælo & in terra, quæ admirabili ratione
 condidisti, omnia perpetuò administras pro
 tuæ voluntatis arbitrio, nubes, pluias, ven-
 tos et alia naturæ opera ita tēperas, ut mor-

P R E C E S

salium commodis quàm studiosissimè obse-
 quantur. Principum vero & regum animos
 in tua potestate fitos cum habeas, illos per-
 petuo flectis quo tuorum fidelium salus po-
 stulat, quod in Pharaone Aegypti rege, Si-
 naan, abundè satis superq; est patefactum.
 Ob id spes qua innitimur tuis promissioni-
 bus adèd confirmatur & augetur, vt licet
 videamus Ecclesiam extremis periculis gra-
 vissimè premi, attamen confidamus, è recon-
 ditis et abstrusis thesauris misericordia tua
 sic illi subueniendum, vt imprimis nostris
 innumeris atq; scdissimis lapsibus, quibus
 nosmet ipsos facinorose contaminauimus,
 ignoscas, & ita diaboli ac stipatorum eius
 frangas, domes & reprimas audaciam, quo
 non simus per eos adigendi, vt rursus idola-
 tricos cultus recipimus, eaq; adoremus si-
 gna, quæ loqui, audire, & spirare nequeunt,
 etsi oculis, auribus, manibus atq; faucibus
 prædita videantur. Da, quæsumus, optime
 pater, vt prisca imò perenni pace atq; tran-
 quillitate è Zion, id est, vera Ecclesia, om-
 nes perpetuo nomen tuum laudent & præ-
 dicent, per Iesum Christum D.N. Amen.

EX EODEM.

Commendaris, omnipotens Deus, pluribus de causis, & multis nominibus es laudandus: imprimis bonus es, iucundum atq; amabile nomen tuum. Deinde nos in populum peculiarem id est, verum Israelens tibi coop'asti, esq; tanta potentia praeditus, ut non solum nulla creatura, imò nec quispiam alter Deus sit qui equari tibi valeat. In caelo, in terra, in mari & in abyssis tu vnus es qui efficis admiranda opera: fulgura, ventos, pluias, vndas & tempestates ipse concitas & frenas pro tui arbitrio imperij. Aegyptus, Amorrhæi & Chenanæ senserunt potētiam tuā quando filios Israel fouebas tua clementia, ineffabili pietate et misericordia gubernabas. Qui itaq; assueuisti tam admirabili via naturæ cursui moderari iudicare populū tuum, atq; demū cōsolari super seruis tuis, respice precamur, inuenire & videas calamitates et pericula Ecclesie tuae, neq; nobis facias pro merito iniquitatis nostrarū Satis indignè quidē (fateamur toto corde) vixim⁹ tuo nomine et nostro.

P R E C E S

·vocatione, sed modo quando ita affligimur,
 ·non ad idola: quæ sunt opera manuum homi-
 ·num, & quamuis os, oculos & aures ha-
 ·beant, neque loquuntur; neque vident ne-
 ·que intelligunt: sed ad te confugimus ve-
 ·rum & vnicum Deum nostrum, vt quem-
 ·admodum amas Ecclesiam & in ea laudari
 ·cupis, ita ipsam ab imminentibus malis eri-
 ·pias, per Iesum Christum dominum no-
 ·strum, Amen.

EX EODEM.

DV O sunt, Deus Optim. Max. quæ nos
 ·precipue ad tuas laudes incitare de-
 ·bent: Vnum, quod nihil te maius aut inue-
 ·niri aut cogitari potest: Alterum, quod in
 ·ipsis tuis laudibus commemorandis letitia
 ·sincera & solida voluptas percipitur. Ac-
 ·cedit præterea tantum esse tuorum benefi-
 ·ciorum numerum, vt vndique non solum
 ·materia laudum tuarum suppeditetur, ve-
 ·rum paulo attentius cogitantes penè totos
 ·adobruat, ita vt nec principium nec finem
 ·absque tuo spiritu prædicandi tuum nomen
 ·facile

facile invenire possint. Quod nos dum animaduvertimus, te precibus nostris sedulo rogamus, ut præsertim in sacris cætibus, te purissima fide præconijs ornemus, cultu vero prosequamur, & integra vita sanctisq; moribus prædicemus, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXXVI.

SIC undique redundant in nos Deus Op. Max. tua potentia & summa bonitas, ut humana cogitatio eas nunquam satis cõplecti valeat, siue cælum spectemus pulcherrimis & propè innumeris distinctum luminibus, siue terram cumulatissimè refertam atque ornatam iucundissimis fructibus, semper occurrēt illustres indices tuæ singularis & admirabilis in nos beneficentiæ. His adijciuntur portenta abs te edita in Aegypto, quibus cum tyrannum omnibus bonis euertis ac demum vita expoliaris, patefecisti quàm tibi cordi esset libertas tuorum Israelitarum, quibus non minus tutela fidißima extitisti in vasto &

P R E C E S

*S*quallenti deserto, quam robustissimus pro-
pugnator, dum totam terram Chanaan per-
uaderent, & sibi eius regna subigerent. *Q*ui
ergo bonitate, clementia, misericordia tam
eximia & nunquam finienda es peditum
respice, quesumus Ecclesiam tuam iam la-
borantem summis & extremis periculis,
neq; te à natina pietate dimoneant teterri-
ma facinora, quibus & nos ipsos & tuum
sanctum Euangelium contaminauimus: re-
mittas nobis precamur quicquid in te pec-
cauimus. *Q*uiq; das escam omni carni, ne si-
nas interueri fidelibus tuis doctrinam sa-
nam, pura & integra sacramenta, que ve-
rè pabulum sunt æternæ vitæ. *F*ac ut hit
quiuis intelligat quàm sis bonus & potens,
quo ab omnibus, ut par est, metuaris & a-
meris ubiq; ardenti voluntate, per Iesum
Christum dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

*E*st bonitas tua, omnipot. Deus, ut
nō solū uolueris ea nos fouere sed quod
non est parua nostræ felicitatis pars, ut
eam

eam & sentiamus & agnoscamus: atque ob
 id res pulcherrimas tam in cælo quàm eti-
 am in terra summo & admirando artificio
 produxisti. Quæ omnia si pio animo intueremur,
 proculdubio accensum & inflamma-
 tum pectus erga te perpetuo haberemus. Dein
 de ut nos lapideos nostraq; gelidissima cor-
 da vehementius promoveres, unum tibi po-
 pulum Israeliticum delegisti, in quo decla-
 rares, quanto studio quanta providentia &
 largissimis beneficijs eos prosequereris, quæ
 tuo cultui & pietati semel se dedicarunt.
 sed in Christo Iesu tandem Domino nostro
 & filio tuo dilectissimo, omnes thesauros be-
 nignitatis effudisti, ut nos ab æterna morte li-
 berares. Quare ex tantorum beneficiorum
 stupendis miraculis excitati, gratias tibi a-
 gimus non quidem meritas, sed quas possu-
 mus, & Ecclesiam pro viribus commenda-
 mus per eundem Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXXVII.

Quicumq; omnipotens Deus, verè
 habet rationē pietatis atq; religio

P R E C E S

vis; acerbissimum dolorem capiunt, si Eccle-
 siam dissipari videant, derideri sanam do-
 ctrinam, laudes diuini nominis ludibrio ha-
 beri, & quæ ad religiosum cultum perti-
 nent ad prophanas voluptates transferri.
 Cum itaque, ne ista nobis hoc tempore eue-
 niât, parum abesse videamus, supplices hæc
 nostra postulata quotidie tibi exponimus,
 vt primum qua es misericordia & pietate
 omnia nostra peccata velis delere, quæ pe-
 nè sunt infinita atque grauissima, non so-
 lum infirmitate & ignoratione admissa, ve-
 rum etiam sæpenumero & malitiose atque
 consulto. Te itaque misereatur nostrum, &
 ita amoliri velis à nobis acerrimos Anti-
 christi dolos & impetus, ne Ecclesia euer-
 tatur omni sancto gaudio & spiritali la-
 titia: ne claudantur ora benè & salubriter
 docentium, ne tuus legitimus cultus obli-
 uioni tradatur, neque laudes & carmina, qui-
 bus celebraris à ridentibus vsurpentur.
 Quicquid iræ & indignationis, ob admissa
 peccata vobis debetur, te precamur, optime
 pater, vt propter gloriam nominis tui pro-
 pulses ab Ecclesia, & id potius transferas

in eos, qui hostili impetu & infensissimolamento nil aliud cogitant, nisi ut corrumpant & deuastent hereditatem tuam, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Desyderaret sanè tua Ecclesia, omnipotens Deus nomen tuum psalmis & hymnis hilariter euehere. Sed tanta est adhuc eius oppressio atque captiuitas in tenebris & cæcis erroribus inuectarum superstitionum, vnde illi in doloribus magis conuenit, ut instrumentis letitiæ sepositis, fletui, lachrymis, luctui, querulis precibus, & ardentissimis inuocationibus diu noctuq; intumbat, quibus tuum imploret auxilium: ut in alienis tabernaculis huius mundi potius omnium delectationum obliuiscatur, quam ei vera pietas à memoria diffluat. Precamur itaque ut illam citissimè eripias à tyrannide hostium pietatis, qui nulla magis alia re quam eius deuastatione gaudet. Ad eos quæsumus te conuerte, atque illorum amentes impetus coerceas, quò minus

P R E C E S

post hac Ecclesiam sponsam tuam vel erroribus vel prauitate contaminent, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXXVIII.

TAM illustris & preclara est, omnipotens Deus, tua misericordia, vt in cōuentu principum & summorum potestatum decenti laudatione celebrari debeat: cum enim optima fide tuis promissionibus abunde satis feceris, dando salutem vbiq; te implorantibus, nominis tui existimatio mirifice auclta est. Cum itaq; tue misericordiae infinita extent monumenta, oramus te & obsecramus, ne hoc nostro iniquissimo tempore ab ea velis discedere, & te à nobis patiaris abalienari. Tame si tuarum legum & voluntatum rationem in actionibus nostris non duxerimus, vti par erat: miserè in te peccauimus, capitaliter offendimus, contumeliose abs te defecimus: id quidem nos & agnoscimus & fatemur, sed quamuis indignum est tuum, eis, qui tibi ex fide supplicat, veniam dare. Non ergo in hac tam atroci
 causa

causa quid nos, verum quid te deceat, attendas: etenim si te inuocantibus nunc ad fueris, nullus erit mortalium, qui te non sit admiratione summa prosequenturus, plebei, nobiles, atq; aded reges ipsi tuas laudes certatim cumulabunt, nam apertissimè fidem facies, te, quamuis in cælo resideas, etiam his millima & deiectissima curare, qui licet sublimis & quàm longissimè à nobis videaris agere, tuo nihilominus iustitiæ & bonitatis exempla facias, vt omnes intelligant. Spe, quæ sumus, ita nos confirmes, ô Deus, vt si vel per medias angustias eundum sit, dextera tua sustentati non succubamus: quales quales sumus, opera manuum tuarum esse memineris, per Iesum C. D. N. Amen.

EX EODEM.

Nominis tui amplitudo & sermionum tuorum dignitas, omnipotens Deus, non modo in plebe atque inter vulgares homines verum apud claros et insignes maximis laudibus euchi debet quandoquidē summis beneficijs vniuersos mortales afficis, tuisq; promissionibus, et fide & veritate nã

P R E C E S

quam defuisti, imò te inuocātes pura fide et
 que sincero animo perpetuo audis. Lau-
 dent itaque te quotquot sunt illustres, & di-
 gnitate atque potentia valent inter morta-
 les, cum tuorum consiliorum admirandam
 prudentiam intellexerint: nam cum ipse sis
 eminentissimus, humilia atque abiecta que-
 que non despicias, elatos verò è remoto vide-
 ris intueri, cum minimè approbes. Te ita-
 que rogamus, vt in medijs tribulationibus
 nos viuifices, hostium pietatis vim & odia
 reprimas, quo dum nos opera manuum tua-
 rum foues & protegis, misericordia tua e-
 terna gloria illustretur, Per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXXXIX.

Tanta est cognitio & prouidētia tua,
 omnipotens Deus, vt singula queque
 hominum dicta, facta & cogitata tibi sint
 notissima: antequam animi sensa lingua e-
 nuntiemus, tu ea nosti. Quantam verò sa-
 pientiam declararis in singēdis atque plas-
 mandis nostris corporibus, neque capere, ne-
 que

que plenè differere quisquam potest: si velocitate solis cursum æquaremus vel aurore vinceremus celeritatem, & in cælum profecti, vel descendentes ad inferna vagaremur, nusquam non occurreres nobis obvius, qui à prima vsque plasmatione, informè corporis nostri fœtum cum omnibus membris, quæ adhuc nulla extabant, habuisti oculis tuis presentia & perspectissima. Quædo itaque tam admirandus vndicunque appares, oramus ut saltem in Ecclesia pro tua dignitate colaris & adoreris. Faceant impij & quicunque per contemptum nomen tuum vsurpant. Tuos verò excutias, quæsumus, & explores quo sibi ipsis innotescant: quod si fortè, ut fit per humanam infirmitatem, à vera via deflexerint, quæ tua est bonitas, in viam æternæ felicitatis reducas per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXL.

CUM à malis & improbis hominibus, non possimus, Deus Optim. Max. ex-

peccare aliud, quã malos fructus: ubi enim
 cor prauum fuerit, neq; verba neq; facta ul-
 lam unquam uideas rectitudinem conser-
 uare. Ideo te pro uiribus inuocamus, ut nos
 ab impiorũ uiolẽtia & malignis conatibus
 eripias. Multi sunt funes, laquei & pedico-
 quas diabolus & eius membra tendunt Ec-
 clesie. Si itaq; tu ipse & robur et salus eius
 ac illam in die, qua tentationum bella com-
 mittuntur, firmo presidio corroboret, ita ut
 male artes, quibus suribundè impetitur, ac
 sine feliciter opprimitur, in suos authores re-
 cidat. Quod si feceris, tuũ retinebis antiquũ,
 ut destitutos humanis auxilijs diuino cele-
 stiq; presidio fulcias: unde nomen tuum ius-
 ti perpetuo predicabũt, & fauore illustri-
 tur, per Iesum Christum D.N. Amen.

T E X P S A L M O C X L I.

Tum imploramus, omnipotens De-
 us, quotidie presidium, idque uehe-
 menter cupimus, ut preces nostræ apud te
 acceptissimi sacrificij locũ obtineant: quod
 cum intelligamus fieri nõ posse, nisi à uitijs
 animos nostros prorsus abstraxerimus, id-
 circo

circo te imprimis rogamus, vt à nobis cun-
ctis remoueas peccata, quibus & nos ipsos et
tuam nomen sœdissimè contaminauimus.
Non enim occultamus antehac indignè ac
perditè vixisse, verum id corâ te aperimus
& patefacimus communi & vltionea con-
fessione. Des itaq; veniam supplicantibus
& corda nostra posthac ita dirimas à conta-
gione scelerum, vt ea, cogitatione, sermonis
bus aut factu neutiquâ attingamus: ea fortâ
tudine & pietate corroboreas piorû animos,
vt dolosis illecebris aut fraudulentis polli-
citationibus impiorum non se patiantur in-
escari. Tu potius, ô Deus, nos cedas, castiges
atq; corripas, quàm sinas emolliri uel ener-
uari lenocinijs, uoluptatibus & blanditijs
aduersariorum pietatis. Fraçti quemadmo-
dum uides & occisi sumus, impendet Eccle-
siae tuæ supremum exitium: sed oculos ad te
contentissimè sustollimus atq; obsecramus,
ut à laqueis & à tendiculis facinorosorum
hostium nos eripias: cum enim iam sint de-
plorata spei, satius est ut ipsi suis retibus et
malis artibus capiâtur, quo tuæ Ecclesiae de-
tur, ut eorum nefarias manus euadat, per
Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

P R E C E S

EX E O D E M.

DUM te inuocamus, omnipotens, De-
 us, velis nobis pro tua bonitate pro-
 pere adesse, ne villo pacto à verbo & religi-
 one diuellamur. Ascendant ad conspectum
 tuum preces quas fundimus, instar grati-
 suffius & acceptissimi sacrificij, tametsi
 id peccata nostra non merentur. Fatemur
 enim corde sæpius ad res noxias declina-
 se, & os ac verba non vsque adedò obserua-
 nimus, quin & ea parte offenderimus, fui-
 musq; ad improbas actiones plus nimio pro-
 cliues atque præcipites. Qui factum est vt
 modo sic à te & corripiamur & castige-
 mur. Sed pro tua misericordia ac bonitate,
 nobis, ô Deus, istud largiri digneris, vt ex-
 periamur has tuas castigationes, mera esse
 summæ tuæ paternæ affectionis erga nos be-
 neficia, ita vt eas, quando à tua prouiden-
 tia emanant, iudicemus & habeamus vti-
 liores, atque si mundi & impiorum favore
 & delitijs cumulatisimè fruermur: ita
 enim tibi fidimus, vt sit nobis compertissi-
 mum tui moris esse illis ferre præsidium,
 modo.

modo inuocent, quorum ossa & disse-
 cta & dispersa sunt, vt quasi iam ad infe-
 ros descenderint. Quare iuxta hanc tuam cō-
 suetudinem, hoc tempore, quando est affli-
 ctissima, ne deseras Ecclesiam, sed à tendi-
 culis, laqueo & retibus impiorum illam e-
 ripias, in sua retia & foveas impij, qui ea-
 rum sunt artifices atq; fossores, non tui, in-
 tidant, Per Iesum Christum dominum no-
 strum, Amen.

E X E O D E M.

DVM abs te opem imploremus, Deus
 Opt. Max non remoreris quæsumus,
 tuum auxilium: hoc nostrum est quotidiana-
 num sacrificium quo te ornamus ac vene-
 ramur, nec tibi minus placet, vt docemur
 tuis oraculis, ac si odorem suauissimum &
 suffitum aromatatum, vt veterum mos fuit,
 aris admoueremus. Precamur itaq; vt lin-
 gua & cordi nostro, fidelem adhibeas custo-
 diam, vt nec verbis nec animi cogitatu, ne-
 dam operibus aliquid contra legem tuam
 designemus. Remoueas à nobis impiorū cō-
 merscia, & admonitionum atq; correptionū

P R E C E S

fraternarum patiētissimos reddas, laudam
 vero ac adulationū negligētes. Cumq; mille
 sint laquei atq; tendiculae, quibus nobis in-
 fidiatur antiquus hostis, ex omnibus tandē
 favor tuus nos expediat, per Iesum Christū
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXLII.

ANte conspectum tuum, Deus Opt. Ma.
 quotidie vociferamur, preces ac sup-
 plicationes nostras effundimus, ut nostri
 cordis mœstitiam & anxietatem deproma-
 mus, idq; coram te, qui vnus nosti viam &
 rationem liberandi tuos in extremis eorum
 afflictionibus. Torquetur in nobis profectū
 assiduē spiritus noster, dum presentium re-
 rum statum contemplamur, quo tamen si
 vel dextrorsum vel sinistrorsum prospicia-
 mus, videmus neminem qui verē Ecclesia
 eae causam aut suscipere aut agnoscere ve-
 lit. Quae sanē mala peccatis nostris accepta
 referimus, quibus adeo graviter contra nos
 es offensus, ut excitaris hostes adeo feroces
 & subdolos in populum tuum, à quibus no-
 bis in omnibus ferē locis tendantur insidie

& violentia passim inferatur. Nunc itaq;
 te Deus optime pater, nostrū misereat, duns
 que seruis tuis videtur ademptum omne re-
 fugium, neq; vllus superesse qui seruare cu-
 ret animas nostras, tu ipse vociferationem
 nostram audias, ac nobis esto firmum presi-
 dium, & inter viuos portio nostra: nos à
 persequentibus eripe, qui iam videntur præ-
 ualuisse. Quandoquidem si ex hac afflictione
 eripueris Ecclesiam, passim celebrabitur
 nomē tuum, omnesq; nobis gratulabuntur,
 in quos te adeò beneficū conspexerint, per
 Iesum Christum Dominum nostrum, Amen.

E X E O D E M.

CUM infinitis periculis perpetuo cir-
 cumuallemur, omnipotens Deus, vel
 ipsa necessitas persuadet vt nunquam desi-
 stamus à precibus, verū eas & quidem ardē-
 & sissimas in cōspectu tuo semper effundamus.
 Cui enim potius quàm tibi nostra angustie
 & discrimina in quibus quotidie versamur
 exponēda sunt? Ipse omnia nosti, neq; te la-
 tēt versutia ac doli aduersariarū potestas.

P R E C E S

Ipse nobis vnus & effugium & auxilium
 esse potes: hominum verò presidio, vel quia
 nolunt, vel quia iuuare non possunt fidendū
 non est. Ideò ad te qui es nostrum asylum,
 & nostra fors in terra viuentiū, assiduè cla-
 mamus, quo nos à diabolo antiquo humani
 generis hoste, illiusque satellitio eripias: ita
 enim refecti ac recreati animi nostri, nomē
 tuum confitebuntur, & vnà nobiscum vni-
 uersi iustitia amantes, tua beneficia meritis
 laudibus celebrabunt, per Iesum Christum
 dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXLIII.

Cupimus vehementer, Deus Optimus
 & Maximus. vt nostris communibus votis
 annuas, vt que preces quas effundimus, pro
 tua fide & misericordia exaudias, neq; in-
 ficiamur, peccata, quibus te non vulgari-
 ter offendimus, id non mereri. At si volue-
 ris iudicio nobiscū experiri ac seueriter iu-
 re agere, cum istud nullus mortalium, imò
 nulla creatura, quantumuis pura & sancta
 ferre possit, nos etiam proculdubio causa
 cademus.

eademus, neque coram te ad tribunal vale-
 bimus consistere. Tua itaque illa clementia
 & pietate solita intueri, ut hostis vehe-
 menter persequatur animas nostras, sic pla-
 ne videmur confecti & destituti, ut à mor-
 tuis parum admodum nostra conditio di-
 ster: aded in nobis diuexatus est spiritus no-
 ster, & cor obstupuit. Sumus nihilominus
 probè memores prisce & antiquæ miseri-
 cordiæ tuæ, qua consueuisti tuorum electo-
 rum desperatis rebus mirabiliter subueni-
 re. Idcirco ad te modo non solum manus ex-
 pandimus, verum toto pectore anhelamus,
 ut ab inimicis liberet Ecclesiam tuam: nos
 tuo bono spiritu ita regas, ut posthac iuxta
 voluntatem & bene placitum tuum, que-
 cunque recta & sancta sunt, fideliter exe-
 quamur, ex presenti angustia educti ac vi-
 uificati auspicijs & ope tua, per Iesum Chri-
 stum dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

Tanta est Deus Optim. Max. nostra in-
 firmitas, ut qui tuo spiritu

P R E C E S

sunt instructi probe norint eam nō posse in
 tuo iudicio subsistere: idē cum merita no-
 stra expendimus, deficit spiritus, & cor
 prorsus obstupescit. Sed illico nos ad tuam
 misericordiam conuertimus, & nostram
 iustitiam non ex nobis proficisci, sed tuam
 opus esse fatemur: qua fide suffulti & con-
 firmati: fauorem tuum in periculis huius
 vite imploramus. Nisi enim tu succurreris,
 de salute nostra actum esse prorsus vide-
 mus. Monstra viam qua tuto possimus in-
 gredi, ac tuæ voluntatis perficiendæ ratio-
 nem doceas, & sancto spiritu, qui à te pro-
 ficiscitur omnes nostras actiones & cogita-
 ta gubernes, per Iesum Christum dominum
 nostrum, Amen.

EX PSALMO CXLIII.

Agnosimus Deus Opt. Max. à te vno
 esse omne militare robur atq; indu-
 striam, quæ tuo arbitratu, quibus volueris,
 distribuis. cum itaq; nomini tuo potentiam
 & victoriam ascribamus te omnino consti-
 tuimus arcem, munitionē, rupem & clype-
 um

um nostrum. Et quamuis animaduertamus hominem natura sua nihili esse, vt abs te agnosci debeat, nosq; ad eò grauitèr peccasse vt prorsus indigni simus quo nostri ratiq; abs te habeatur, nihilominus freti misericordia tua audemus te orare, hòc nostro difficillimo & calamitosissimo tempore, vt à celo vim tuam pro nobis declares, dissipes ac dispergas inimicos nostros. Mitte, quæsumus manum tuam, & nos eripias è manibus impiorum. Tu es qui consueuisti regibus & principibus fidentibus tibi salutem dare, & nò solum Dauidem, verum plerosq; ex patribus frequenter liberaisti à noxijs ca-sibus, & extremis periculis. Cum ergo tuos semper cumulaueris innumeris & præclarissimis donis, nec solum spiritalibus imò temporalibus, scilicet numerosa sobole, gregibus, diuitijs atq; honoribus, ita vt facile videre licuerit omnibus gentibus, eam esse beatã gentẽ quæ te verè Deum suũ haberet. Nunc quoq; ne uelis abijcere Ecclesiã tuã: uides quidẽ illius afflictiones pericula et anxietates, propera in auxiliũ eius, neq; illã patiari desolari ab hostibus tui nominis: da.

P R E C E S

ut demum erepta his malis cantica noua
tibi canat, & laudes eternum dicat nomi-
ni tuo, per Iesum Christum dominum no-
strum, Amen.

EX E O D E M.

Non est citra potentiam tuam, Deus
Opt. Max. vlla alia vis, in qua ru-
pem, munitioem, clypeum & refugium
populus tuus paratum habeat. Caterum qui
nos sumus viles homunculi, vt à tua pie-
tate nostrum ratio habeatur? Certè vt
vmbra & mera vanitas cum nos tum no-
stra omnia pretereunt. Nisi tu misericor-
dia, qua præditus es, adsis & liberares à peri-
culis, quæ sine fine vndique nobis intentan-
tur: quis enim possit alioquin fallacias &
subdolas artes euadere, quibus hostis huma-
ni generis quotidie nos oppugnat? Quare
precamur, vt ipse succurras, quo tuas lau-
des nouis carminibus & laudibus subinde
celebremus. Neque solum id petimus, vt
quæ ad hanc vitam & mundanam prospe-
ritatem spectant habeamus felicia, nam
hæc

hæc etsi vulgo maximi fiēt, id tamen nos
 beatius ducimus, si tu ipse, vt reuera es, ita
 te declares esse Deum nostrum, per Iesum
 Christum filium tuum, qui tecum viuit &
 regnat in secula seculorum, Amen.

EX PSALMO CXLV.

TAM eximia & præstantissima digni-
 tate præditus es, omnipotens Deus,
 vt nostra inuestigatio quantumuis perspi-
 tax eam minimè assequi valeat. Hoc tamen
 per fidem intelligimus, te misericordiâ ple-
 num esse, & ita plenum, vt ad iram quàm
 tardissimè conciteris. Eaq; est bonitas tua,
 vt nihil vel in creaturis abs te cõditis, vel
 in orbis administratione deprehendi possit,
 in quo summa clemētia non appareat. Cum
 itaq; sciamus Ecclesiam, quæ regnum tuum
 est, perpetuò duraturam, rogamus, vt per-
 petuò, dum videtur corruere, illam susten-
 tes, atq; cum maximè apparet depressa, eri-
 gas, pascas in tempore verbo tuo omnes fide-
 les, & liberali gratia tua saties omnes qui
 in te confidunt. Neq; inuocantes te puro cor

P R E C E S

Ne, frustrari suis votis permittas, per Iesum
Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CXLVI.

Dignus es Deus Opt. Max. quē toto cor-
de ac ex animo sincerissimo laudib.
perpetuo extollamus, neq; aliud in vita vel
nobilius vel utilius possumus exercere. Quā-
doquidem tibi vni & non hominibus fiden-
dum est, quantumuis illustres & potentes
fuerint, eorum sanē corpus facile dissolui-
tur, efflatur anima, & cogitationes frustra-
tur. Tu verò qui vniuersum orbem condidi-
sti, promissa tua eterna veritate confirmas,
dum vindicas oppressos famelicos saturas,
& vinctos è carceribus eripis, cecos illumi-
nas, contritos erigis, iustos fauore prosequi-
ris peregrinos, orphanos, & viduas prote-
gis, & impiorum dolos, technas atque fran-
des eludis. Hec omnia cum tua sint admi-
randa opera, & à nobis assidue conspiciantur,
nostram fidem mirificè confirmant. Quā-
re illa impulsī te vehementer oramus, vt
Ecclesiam, quæ tuum regnum est, inter hu-
i

ius mundi fluctus & regas & conserues,
per Iesum Christum dominum nostrum,
Amen.

EX PSALMO CXLVII.

Debetur, omnipotens Deus, tue magnifica glorie laus eximia, nam te videmus fractos instaurare, euehere mansuetos, & impios ad abyssum vsque deprimere. Nulla est vis, quae tuae potentiae valeat adaequari: astris imperas, & quasi tuæ oues essent aut serui nominatim ad tua obsequia euocas. Qui ergo nubes pluuias & frumentum producis, pecora & coruorum pullos alis, & timentes te absque peditem & equum praesidio seruas, respice, quaesumus, Ecclesiam tuam, munias aduersus hostes, & filijs eius pacem augeas. Penuria verbi tui eam confici non sinas: & cum tuo verbo nitem; glaciem, & pruinam immittas, & quando visum fuerit, statim dissoluis flatu venti, ita quae aduersa ad tempus, & ad eius exercitationem procuras, fauore tuae gratiae cito facias euanescere. Quiq; cum alijs

P R E C E S

mortalibus non ita fecisti, vt arcana tuarum scripturarum illis reuelaris, nobis vt ad salutem ipsis vtamur, concedas, Per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO. CXLVIII.

CVM tam latè clara sint & illustra, omnipotens Deus, in omnibus rebus abs te conditis monumenta bonitatis atq; potentia, admirabilis & propè singularis in eis esse videtur laudum tuarum prædicatione, ita vt si quis æthereas mentes, solem, lunam, stellas & cælorum machinam bene penitus intueatur, nil ibi sit deprehensurus aliud, quam meram tuæ charitatis & sapientiæ commendationem. Quæ eadem cum nobis indicent nubes, pluuia, fulmina, venti, montes, plantæ, animantes, ac vniuersa opera cum nature, tum politico facultates, quibus inter homines geruntur Resmirum est, quomodo hic nos tantopere frigeamus, qui ab omnibus rebus ita stimulati, & incitati sileamus & propè muti simus ad tuas laudes. Imò quod grauius et durius

rius accipiendū esset, loco præconij & celebrationis, quam tibi pro tantis debemus beneficijs in nos collatis, contumelias, conuitia & maledicta reponimus, quæ tametsi à nobis disertis verbis non proferantur, at tamen cum adeò nos contaminauerimus foedissimis peccatorum maculis, tuam sanctam doctrinam dehonestauimus, ipsi verba tuarum laudum non audemus proferre, & alios reuocauimus nostris exemplis pessimis à tui nominis laudatione. Quamobrem haud immerito nostræ calamitates indies redduntur grauiores. Verum tu ô Deus, nolis precamur, ab instituto bonitatis & misericordie tue refugere hoc tristissimo tempore. Scimus te facile posse vincere quicquid est aduersi: non enim tibi sunt excussæ vires, quas ad tempus voluisti reconditas, ut quantum à nobis peccatum sit probè intelligatur. Fac itaque nunc iuxta promissiones, ut Ecclesia & adipiscatur, & retineat omnia bona quæ conducunt ad nomen tuum, pro ut meretur, illustrandum, per Iesum Christum dominum nostrum, Amen.

P R E C E S

EX E O D E M.

Immensa tua bonitas, vis & sapientia mirifice se declaravit, omnipotens Deus, in omnibus quæ in nostram gratiam condidisti. Quamobrem non immerito dicuntur omnes creaturæ te prædicare: non enim suapte natura prodierunt in lucem. Abs te, ut essent, euocata sunt, deinde cum extitissent, non aliter quam iussu tuo constabiliuntur, leges præscriptas observant, neque decretos statosq; fines sibi transgrediuntur. Quæ omnes dum quotidie spectamus ad tuum nomen celebrandum, par est, ut incitemur, quandoquidem in his tua vnus solius ars in nostros oculos & mentem incurrit. Vnde his permoti, nunc ad te confugimus, quem tot ac tantorum bonorum authorem didicimus, ac oramus, ut populo tuo, id est, Ecclesie, tuæ potentie cornu digneris erigere, quo aduersus omnes inferorum potestates persistere valeat, ac tibi indies magis ac magis reddi coniunctior. per Iesum Christum dominum nostrum,

Amen.

EX PSALMO CXLIX.

Dignus quidem es, omnipotens Deus,
 cui perpetuo canatur nouum carmē
 in Ecclesia, & laudes celebrentur in cœtu
 fidelium: qui enim fieri potest, vt qui sunt
 populus tuus te fictorem suum & regem
 suum non prædicens, idque non solum corde
 & voce, sed etiam omnibus externis instru-
 mentis ad hoc factus. Cum itaque natura, bo-
 nitate, & summis erga nos meritis ita sit
 laudandus & prædicandus, ne adeo commo-
 uearis peccatis nostris, vt castiges nos in ira
 ror: tuo: ignoscas, quæsumus, pro tua clemē-
 tia dum ad te redimus, & auxilium conti-
 nuis precibus imploramus. Si aded tibi, vt
 sæpius testatus es, benè complacet in popu-
 lo tuo, illum in tanta necessitate iuuas &
 ornes ope tua. Hanc nobis præbeas exaltatio-
 nis tui nominis materiam, qua semper fu-
 tura sit in gutture tuorum fidelium: non de-
 bitamus te posse vltionem sumere de genti-
 bus & populis qui te blasphemant, regesq;
 & principes tuo cultui aduersantes cōpedi-
 bus & catenis constringere, in eos exercen-

P R E C E S

do seueriffimum iudicium. Quare petimus, vt ancipiti gladio verbi tui, vel eos ad te conuertas, quod si minus placet, à nostris ceruicibus remoueas, quo omnes intelligāt, quanti facias tibi deditos, & tuarum laudum studiosos, per Iesum Christum, dominum nostrum, Amen.

EX EODEM.

CUM subinde abs te nouis beneficijs, Omnipotens Deus, afficiamur, ni velimus prorsus officio deesse, requiritur vt quotidie in cœtu fidelium tuorum nouis laudibus atq; carminibus tuo nomini sancto gratias agamus. Nam qui in omnibus rebus & singulis momentis te creatorem atq; regem plenum salutis habere sentimus, quem finem te celebrandi faciemus? Certè quando te adeò fidelibus tuis fauere, & pios ornare vberrimis donis animaduertimus, par est cogitatione, voce, moribus, & omnibus instrumentis, modis & rationibus, quibus id fieri potest, vt grati animi indicia prodamus. Atque hoc quo à nobis parius fiat, da

in manibus cordis nostri, tui verbi gladiū,
 unde carnem, vitia & malas cupiditates,
 quibus penè conficimur, valeamus vlcisci,
 & ita compescere & ligare nativum nobis
 peccatum, ut à sua tyrannide, quam exer-
 cet in filios Adami, exturbetur, per Iesum
 Christum dominum nostrum, Amen.

EX PSALMO CL.

DVM te laudant, omnipotens Deus. V-
 niuersa quæ condidisti, nō modo quod
 debetur dignitati & amplitudini tuæ præ-
 stant, sed mirificè & cumulatiſsimè se ipsa
 perficiunt: nullam quippe habemus actio-
 nem excellentiorem, quàm ut te omnium
 rerum extremum & summum bonum cele-
 bremus, cuius in nos experimur singulo quo
 quo die immensa beneficia. Caterū neq; illa,
 neq; tuam infinitā bonitatē, dum hic premi-
 mur grauiſſima peccatorum mole, & ob il-
 lam maximo afflictionum pondere vrge-
 mur, satis perspectam habere possumus, ut
 quæ quis haud norit ea etiā ineptè laudat.
 Itaque toto cordis affectu oramus te, ô Deus,

P R E C E S

ut vitiorum nostrorum sarcina exoneremur,
 qua deposita, non dubitamus presentium ad-
 versitatum tenebras ab Ecclesia depellen-
 das, quæ oculos ad te factorem & instaurato-
 rem suum poterit extollere, atque diuitias
 eum bonitatis, cum sapientia tuæ admira-
 da, summis laudibus, ut par est, celebrabit:
 nunc vero aded lugubria & tristitia nobis
 passim offeruntur, ut præter iram tuam nil
 videamus nobis imminere. Quam, ut nos cõ-
 meritos esse non diffitemur, ita oramus &
 obsecramus, ut eam tandem à nobis remo-
 veas, quo ad prædicationem condignam tui
 nominis non solum verbis, sed omnibus in-
 strumentis, ad animos ad te subuehendum,
 aptis, incitemur, per Iesum Christum domi-
 num nostram, Amen.

EX EODEM.

Quemadmodum nominis tui sancti-
 tas atque magnificentia, omnipot.
 Deus, in sanctuario gloriæ à beatis
 & spiritualibus mentibus perpetuò cele-
 bratur, quod eo potest ab illis luculentius
 fieri

sevi, quo tua maiestatis arana & propius
& clarius intuentur : Ita etiam mortales
par est ut laudibus tuis semper incumbant
vident enim cum in caelis tum in omnibus
creaturis, bonitatis, potentiae, & sapientiae
tuae immensum thesaurum quotidie decla-
rari. Verum praeter ceteris nostra est haec pro-
vincia, qui fide & spiritu illustrati, plus tuo-
rum mysteriorum ex sacris literis percipi-
mus, quam natura omni suo ornatu praedi-
care valeat: ideo quaesumus, nostra corda in-
sues, ut laudibus & precibus quam ca-
stissimis te colamus, per Iesum Chri-
stum dominum nostrum,
Amen.

PRECATIO D. PEPRI
MARTYRIS CONTRA

ἀρεθολατρείαμ & omnem su-
perstitionem.



DSIS, quæso aliquando tan-
dem Cælestis pater, & spiri-
tu Iesu Christi filij tui men-
tes atque animos Christiano-
rum tuorum illustra: ut illi
relictis idolis & superstitionibus, ad te vñ
purè, & sincerè colendum, adorandum, &
inuocandum cōuertantur: neue vltèrius pa-
tiaris, honorem tibi vni debitum impiè, &
sceleratè tribui pani, vino, picturis, statuis,
atque ossibus mortuorū. Satis iam diu san-
ctum nomen tuum contumelijs affectū est:
satis iam diu Euangelij tui puritas conta-
minata iacet: satis superque Institutione Cæ-
næ filij tui homines ad impurissimam idolo-
latriam abusi sunt. Siste aliquando furores
istos insanientium hominum, & sese mise-
rè præcipitantium, ne amplius in omni col-
le, sub qualibet arbore, in omnibus compi-
sit


PRECES SACRAE.


ris, plateis, templis, sacellis, cum pane ac
 vino sub nomine sacramenti filij tui tam
 impudenter & perditè scortentur, & sacrū
 tuum cultum tam impiè & flagitiose pol-
 luant Nisi tu, Deus Optime Maxime istam
 ἀπολατσειαν potenti tua manu auferas, at-
 que euertas, de salute humana, & Ecclesie
 tue repurgatione prorhus actum est. Subue-
 ni, Deus subueni populo, quem sanguine fi-
 lij tui redemisti. Tuque Iesu Christe, vere
 atque eterne Deus, confirma hoc opus quod
 cœpisti, illudque ad finem optabilem perdu-
 cito: vel si desperata est plaga, neque veri-
 tati tuæ in tua Ecclesia amplius futurus
 est publicus & apertus locus, ad exercen-
 dum iudicium quàm primùm venito: &
 pro nominis tui gloria à sacra Cœna, quam
 tu incredibili misericordia, & singulari bo-
 nitate instituisti, tam insignem contumeli-
 am auertito: qui cum Patre, & Spiritu
 sancto viuis & regnas in se-
 cula seculorum
 Amen.


F I N I S.

725312-F

OCN 1312644917







ei ip̄ om̄i ap̄oer̄ m̄ h̄oer̄ d̄ p̄ meli

ū i eor̄ h̄ q̄m̄ i m̄ q̄m̄ a r̄e r̄o

alioi ei q̄ r̄e q̄m̄ i n̄ q̄m̄ r̄o i m̄ ōi

no p̄ r̄o i p̄ i p̄ d̄ o p̄ r̄ i r̄ i n̄ ō i

i n̄ q̄m̄ r̄o r̄o p̄ i c̄a b̄ l̄e r̄e m̄ ō i p̄ m̄

d̄ i c̄e n̄ t̄ a b̄ a r̄e m̄ e i m̄ ō d̄ i c̄e

p̄ r̄e r̄o p̄ i c̄a b̄ l̄e h̄ i n̄ p̄ r̄ ū ō i n̄ t̄ ū ō i

n̄ ō i n̄ ō m̄ e n̄ o p̄ r̄o i r̄e l̄e ō i o

ū b̄ i e r̄ c̄ a l̄e q̄ h̄ ū a q̄ ū i p̄ ō i p̄

No

de v̄ b̄ a i l̄e a q̄ d̄ i m̄ q̄ i

No d̄ i c̄e n̄ t̄ a b̄ a r̄e m̄ e i m̄ ō d̄ i c̄e

No

de l̄e ō i o

219h.

